



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

GEORGH FABRICII CHEMNICENSIS

EPISTOLAE

AD


WOLFG. MEURERUM ET ALIOS AEQUALES.

MAXIMAM PARTEM EX AUTOGRAPHIS

NUNC PRIMUM EDIDIT

DETL. CAROLUS GUIL. BAUMGARTEN-CRUSIUS,

THEOL. D. ILL. AFRANEI RECTOR ET PROF.



GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS

EPISTOLAE

AD

WOLFG. MEURERUM ET ALIOS AEQUALES.



MAXIMAM PARTEM EX AUTOGRAPHIS

NUNC PRIMUM EDIDIT

DETL. CAROLUS GUIL. BAUMGARTEN-CRUSIUS,

THEOL. D. ILL. AFRANEI RECTOR ET PROF.

LIPSIAE.

SUMPTU FRIDER. FLEISCHERI.

1845.

GEORGH FABRICII CHEMNICENSIS

EPISTOLAE

AD

WOLFG. MEURERUM ET ALIOS AEQUALES.



MAXIMAM PARTEM EX AUTOGRAPHIS

NUNC PRIMUM EDIDIT

DETL. CAROLUS GUIL. BAUMGARTEN-CRUSIUS,

THEOL. D. ILL. AFRANEI RECTOR ET PROF.

LIPSIAE.

SUMPTU FRIDER. FLEISCHERI.

1845.



P R A E F A T I O.

Quum abhinc annis quinque de vita Georgii Fabricii Chemnicensis singulari libro Klinkichtiorum sumptu Misenae 1839. emisso eam maxime ob causam exponerem, ut Kreysigio collegae conjunctissimo muneris Afrani per viginti quinque annos maxima cum laude administrati solemnitatem publice congratulatus simul memoriam repeterem illius viri ut de omni literarum genere ita de rebus nostris in primis et unice meriti, atque ita praepararem, quae proximo anno post tertium saeculum conditi consecratique Afranei feliciter exactum ad hujus quoque viri honorem monumenta dedicavimus; promittebam, me propediem et indicem scriptorum Fabricii diligentius et copiosius quam adhuc factum fuerat instructum, et carminum praefationumque delectum, denique epistolarum novam collectionem esse editurum. Quo consilio, quum multis illud ut non inutile ad rem literariam probari intellexissem, magna etiam parte laboris jam profligata invitum tandem diuque reluctatus destiti, non negotiorum magis gravitate impeditus, quam saepe praetendunt, qui per innatam quandam vel ingenii vel

IV

industriæ tarditatem in omnibus cunctari consueverunt, quam librarii rationibus obsequutus scriptori satis injucundis, et quum nihil a me neglectum fuisse bene scirem, tranquillo animo audiebam voces eorum, qui meam inertiam accusarent. Et profecto ita acciderat, ut abjiciendum opus esset, quo tempore plurima subsidia ad rem peragendam a me comparata et insigni egregiorum virorum studio mihi suppeditata fuissent. Nam quod conquestus fueram post alios, maxime auctoribus Menckenio de Graec. et Latin. literarum in Misnia instauratoribus, Struvio in bibliotheca Saxonica, Muellero rerum Afranarum scriptore, magnam partem epistolarum Fabricii, etiam quae in Schreberi, qui Fabricii vitam a. 1717. descriptam edidit, manibus fuisset, aut prorsus periisse, aut in scriniorum latebris absconditam jacere, id quaerendi promendique curam in multis praestantissimisque viris excitarat. Et primus quidem Nobbius, scholae Nicolaitanae quae Lipsiae est rector, qui a. 1829. et 1830. in libellis scholasticis aliquot epistolas publicarat, quas Fabricius Wolg. Meurero scripserat, totam syllogen centum et triginta epistolarum, Muelleri rectoris quondam scholae Cizensis manu descriptam, non modo mihi commodaverat, sed precibus meis id concesserat, ut eam scholae Afranae compararem. In quibus ad editionem adornandis quum maxime versabar, quum vir humanissimus, qui bibliothecae Lipsiensi Paulinae praefectus est, Gersdorffius per literas mihi significavit, epistolas illas Meurero inscriptas, quas multi memorassent, nemo, ne ipse quidem quaestione diligentissime instituta reperisset, neque indices antiquiores bibliothecae indicarent, subito et paene mirifico casu a se inventas esse; nam quum immensa

moles voluminum, quibus acta judicialia et responsa jurisconsultorum continerentur, ex tabulariis scabinorum Lipsiensium, qui novo instituto jus dicere desierant, in bibliothecam Paulinam transportata fuissent, haec ipsa autem antiquam sedem splendidiore Augustei domicilio permutasset, excussis tandem his copiis et in aliquem ordinem redactis tanquam ex occulto latebrarum recessu prodiisse totum fasciculum epistolarum, quas Fabricius ad Meurerum dedisset, ejusque inventi se ad institutum meum copiam mihi facere. Has epistolas, Fabricii autographo satis mihi cognito diligenter exaratas, ut primum in manus meas venerunt, diligentissime descripsi, ita ut relinquerem, si quae vitiose ut a festinante vel barbare et more illius saeculi, quod sermone Latino ut vernaculo uteretur, scriptum fuisset, et quaecunque ab aliis ex aliqua parte vel totae editae fuissent epistolae, eas cum autographis comparavi. Quo in negotio totus eram, quum percommode supervenere binae epistolae viri celeberrimi, *Frider. Jacobsii*, quibus ille et certior me reddidit de iis subsidiis bibliothecae Gothanae, quae ad propositum meum pertinerent, et quae mihi perscrutanda traderet, adjunxit. Sunt autem tria potissimum volumina, quorum usum egregii viri benevolentiae debeo. Duo (nr. 123. et 126.) aliquot epistolas exhibent a Fabricio ad Paulum Eberum datas; eas Jacobsius non modo exscribendas curavit, sed etiam sua diligentia apographa illa cum iis, quae Schreberus ediderat, contulit. Tertium (nr. 212.), quod copiosissimum et magna diversissimi argumenti farragine refertum est, transmissum ab eo ipse excussi. Longum est et ab hoc loco alienum totam copiam, quae illo codice asservata est, enarrare; excri-

VI

psi et scholae nostrae restitui, quae a discipulo aliquo Fabricii collecta et annotata illi tempori et illi loco bene asservata, sed plerisque lectoribus nostrae aetatis vix placere posse viderentur, cujus generis sunt sexaginta octo testimonia et schedulae commendaticiae a Fabricio discipulis ex ludo illustri discedentibus conscriptae, Phil. Melanthonis de ratione studiorum libellus, ejusdem de variis quaestionibus judicia, ejusdem et aliorum epistolae, quae omnia Ill. *Bretschneiderus* in editione scriptorum Melanthonis Vol. III. et IV. usurpare haud neglexit, alia, quae illud tempus per contentionum acerbitem vel lepide vel contumeliose effudisset, studiose collecta, multa denique carmina alumnorum Afranorum et pensa scholastica a Fabricio discipulis dictata; in meam editionem recipere nolui nisi quae ab hoc viro ipso ad aequales et familiares scripta fuissent et hoc uno loco servata nunc primum in lucem emitterentur. Tandem paene absoluto comparandi, eligendi, describendi labore accepi, quam *E. G. Foerstemann*, Gymnasii Nordhusani tunc Conrector, per muneris scholastici aliquam opportunitatem a. 1839. ediderat, *particulam epistolarum ad M. Andream Fabricium Chemnicensem scriptarum*, de quibus ille prima pagina libelli ita exposuit: „Operae pretium visum est, codicem excutere manu scriptum, quem vir quidam doctus, qui ante aliquot annos in ludo nostro litteris operam dedit, superiore anno, gratum suum animum testaturus, bibliothecae gymnasii nostri intulit, ea tamen lege, ne nomen suum evulgaretur. Codex est formae maximae, continens epistolas autographas, si unam exceperis anno 1586. scriptam, annis triginta (1547 — 1577.) datas, tantum non omnes ad M. Andream

Fabricium Chemnicensem, qui praefuit scholae nostrae ab anno 1554. ad annum 1564. Collectae sunt hae epistolae ab ipsius Andreae nepote, et uno volumine conjunctae, cujus in fronte inscriptum est: Tomus primus epistolarum, in quo epistolae Georgii, Iacobi, Blasii Fabriciorum Chemnicensium itemque aliorum praestantium et doctorum virorum ad M. Andream Fabricium Chemnicensem, congestus a M. Georgio Andrea Fabricio Herzbergensi, scholae Oldenburgensis Rectore, anno 1610.“

Iam quum reperissem, unius Georgii Fabricii centum epistolas illo volumine contineri, datas maximam partem Misenae a. 1548 — 1567., literis adii Foerstemannum, ut mihi impertiret, si quid meis magis quam suis institutis conducere existimaret. Tum ille promptissima et singulari humanitate ipsum codicem mittendum mihi curavit. Est ille bonae frugis ita plenus, ut, dum persequeris illorum hominum epistolas, in ipsum tempus, quo vixerunt, in domicilia, in familiaritates, studia, iras, odia, certamina eorum subito quodam casu translatum te putes; sed quum vix ferant et accipere velint nostri aequales, quae ad rem literariam remotioris alicujus aetatis pertineant, vel parcissimo modulo admensa, quis larga manu offerre iis ausit, in quibus res domesticae et privatae antiquati alicujus saeculi describantur? Itaque postquam meae oblectationi satisfeci, remisi quidem Foerstemanno volumen, si ipse uti eo nolit, alio tempore alioque editore dignum, praesertim quum a librario admonitus de epistolarum editione mea opera aliquando proditura jam desperare coepissem, ceterum de quibus in vitae Fabricii descriptione Schrebero aliisque auctoribus perperam a me enarratum fuerat, ex illis copiis passim emen-

VIII

davi. Sed nuperrime, quum dierum festorum, quos proximo anno celebravimus, mentio redintegraretur, de labore dudum seposito denuo aliqua commota expectatione, ex tenebris revocare institui, non quicquid collectum et adornatum a me fuisset, sed quae ad illustrandas res scholasticas saeculi XVI., maxime historias rei Afranae pertinere viderentur, et in primis epistolas ad Meurerum per tria saecula sepultas et admirabili custodis publice praepositi industria in lucem restitutas, quibus instruendis et in forum producendis quum promptam operam obtulerit vir humanissimus Frider. Fleischerus, ut eum non poeniteat negotii benigno interventu suscepti, faciant opto quicunque rerum publice privatimque bene gestarum monumentis favere non desierunt.

Scr. Misenae mense Aprili a. MDCCCXXXVIII.

B. Cr.

De vita Ge. Fabricii et de gente Fabriciorum.

Ne haereant in epistolarum lectione, quibus non ad manum est vitae Ge. Fabricii quam nos edidimus enarratio, hanc breviorē praemittendam duximus:

Georgius Fabricius natus est Chemnicii d. 23. April. 1516. patre Ge. Fabricio, artifice aurario, matre Margaretha Pisonis filia. Patrem amisit a. 1534. annum agens duodevicesimum, matrem superstitem vidit usque ad a. 1548. Puer magistros habuit *Valentinum Hertelium*, rectorem scholae urbanae Chemnicensis, et *Io. Scultetum* (*Schulze*), mox laude viri invitatus Annabergae *Io. Rivium*, eoque Fribergam avvocato *Leon. Badehornium*, quorum omnium in epistolis crebra mentio injicitur. Annum agens vicesimum (1535.) academiam petit Lipsiensem, ubi singulari favore ornatus *Casp. Borneri* (*Börner*) in schola Thomana artis docendi prima experimenta edidit. Eandem operam postquam per breve tempus Chemnicensibus praestitit, a Rivio, Fribergensis scholae rectore, socius et collega ascitus est a. 1537. cum *Ad. Sibero*, postea rectore scholae Grimensis, et *Iobo Magdeburgo*, quem post haec ipse

collegam habuit in schola Afrana Misnensi: Avocatus ab hoc munere suscepta cura et institutione juvenum nobilium Wertheriorum (*de Werthern*), eorum arcem Beuchlingiam Thuringiae et inde cum iis a. 1539. Italiam petiit, cujus clarissimas urbes, Patavium, Mediolanum, Genuam, Romam, Neapolin, et in reditu Venetias vidit, viros celeberrimos cognovit. Reversus ex Italia a. 1543. substitit Beuchlingiae, sed post paucos menses 1544. cum iisdem Argentoratum abiit in contubernium *Io. Sturmii*, in quo ad annum usque 1546. permansit, quo ille, aspernatus antea scholae Thomanae Lipsiensis regendae curam a pluribus oblatam, recepit moderationem scholae Misnensis tertio ante anno institutae, auctore gravissimo *Io. Rivio*. Huic officio praefuit per annos viginti quinque, mortuus in Afraneo d. 13. Iul. 1571.

De gente Fabriciorum Foerstemannus l. c. ita exposuit p. 4. seq.

„Quo tempore Lutherus Witebergae docebat, Chemnicii Georgius quidam fuit, vir re mediocris, probitate insignis. Hunc aurificem scriptores fuisse narrant, alii Aurificis (*Goldschmied*) nomen gentilicium tribuunt ipsi. Fortasse majores ejus, Matthaeus quoque pater et Donatus avus, ab arte sua nomen illud duxerant, quod filii ad litterarum studia se conferentes iterum commutarunt, vel ipsi pro barbaro nomine *Goldschmied* antiquum Fabriciorum nomen] adoptantes, vel a praeceptoribus, quod fieri solebat, romano hoc nomine ornati. Georgius aurifex sive *Goldschmied* ex uxore Margaretha novem suscepit liberos, quorum quinque adultam ad aetatem venerunt, Georgius, Blasius, Iacobus et Andreas filii, unaque filia Anna, quae nupsit Ioanni Treptae, plurimosque peperit liberos, inter quos excellunt Georgius et Christianus Trepta. Quatuor illi filii, quos dixi, scholarum rectores facti sunt, Georgius Mise-

nensis a. 1546., Andreas Nordhusanae a. 1554., Iacobus Halensis a. 1567., Blasius Buchswilerensis a. 1562. Ex Georgii, rectoris Misenensis, filiis unus, Iacobus, qui Origines Saxonicas patris auctas edidit, scholam Pegaviensem rexisse dicitur annis fere 1598 — 1612. Nepos etiam et pronepos Andreae Fabricii scholis praefuerunt, ille, Georgius Andreas Herzbergensis, filius Theodosii Nordhusani — qui res sacras apud Herzbergenses, deinde apud Gottingenses administraverat, professoris etiam munere in paedagogio Gottingensi functus — Oldenburgensi, tum Gottingensi, Mulhusanae et iterum Gottingensi, hic, Godofredus Henningus, Georgii Andreae filius, Osterodanae. Georgius quoque Trepta, Annae Fabriciae filius, scholasticis muneribus functus est (a. 1566. Islebiae), item frater ejus Christianus (a. 1577. Buchswilerae). Singulare exemplum familiae, quae ita amplexa est rem scholasticam, ut ipsam scholasticam jure dixeris familiam. Hujus rei auctor fuisse videtur Georgius Fabricius, scholae Misenensis rector meritissimus, qui postquam pater Georgius d. 9. Oct. a. 1534. mortem obierat relicta uxore vidua cum quatuor filiis unaque filia aetate tenera, ipse ex eo potissimum tempore, quum Misenam vocatus esset ad scholam Afranam regendam anno 1546, mortua etiam duobus annis post matre optima (quae decessit mense Aprili a. 1548.) patris vices summa cum pietate et industria sustinens, fratres Blasium, Iacobum et Andream, itemque Georgium Treptam, sororis filium, verbis atque exemplo suo ad studia eadem excitavit, quibus sibi jam honores et plurima vitae emolumenta paraverat. Quanta autem Georgii apud fratres fuerit auctoritas, patet ex omnibus fere litteris, et a Georgio ipso et a Iacobo et Blasio ad Andream fratrem datis. Una inter reliquas ad Andream missas extat epistola a Georgio ad Iacobum fratrem, puerum etiamtum et discipulum Portensem

XII

scripta, et a Iacobo cum Andrea fratre communicata, quam totam huc transscribam.

(Cod. Nordhus ep. 17.) Iacobo Fabricio fratri suo Georgius. S. Tobias senex caecus effectus non incusavit Deum, sed egit gratias Deo omnibus diebus vitae suae. Nos igitur beneficio affecti gratiarum actionem dmittemus? Cogita enim, mi frater, una cum Blasio, nam cum ambobus nunc loquor, quid acceperimus. A patris nostri morte quid fuit, in quo spem collocaremus studiorum nostrorum? Aluit vos mater ex facultatibus eis, quas diligentia et cura tutabatur. Ego statim distrahebar ad satis longum tempus, sed vobis non defui consilio, precibus, obtestationibus, ut retinerem vos in ea voluntate, in qua permanere maxime cupiebam; nihil enim posse esse videbam et ad honestas opes et ad beatam vitam aut commodius aut utilius. Effecit postea sua benevolentia Deus, et adjuverunt honesti viri amici nostri, ut omnium nostrum studiis cum honore consuleretur: et superiore anno in ipso belli incendio atque tumultu te isthic, me, Blasium, Andream hic aluit Princeps. Sed ne efferremur superbia aut nos alterius quam Dei, clementiarum patris, beneficio adjutos esse putaremus, jactati sumus ego maximis curis de mea adolescentia et invidorum gravissimis calumniis, Blasius ad Witebergam vitae periculo, tu et Andreas metu et sollicitudine. Hae castigationes nobis salutare fuerunt, quia docuerunt de providentia et bonitate Dei, qui nos ex malis omnibus singulos liberavit. Accessit postea peculiaris casus tuus et vulnus ex matris morte tam pia, tam amantis honestatis, non solum grave, verum etiam acerbum. Sed mihi crede, frater, hoc ipso vulnere acerbior mihi erat morbus, et in quod detentus animo eram exilium et dedecus tuum, ita enim ego interpretabar, et que, relae sororis de marito quasi cumulum addebant reliquis malis.

ut nihil dicam de cotidianis muneris mei molestiis. Norunt collegae et amici hic mei, quis vultus meus, qui sermo fuerit. Sed quod ego te monui, quodque de liberatione tua vaticinatus sum in litteris meis, vide! quam paterne tribuit Deus, et ita rursus tribuit, ne videretur id alienum esse officium, sed proprie suum. Nam quod ego litteris proximis a D. Wicclebio impetrare cupiebam, id nunc effectum esse ex aliis intelligo. Haec commemoratio prolixa est, sed ex animo eam effluere ne patiaris, ut et Deo gratias perpetuo agas, et in tuo munere cum ipsius timore ac omni diligentia verseris. Ita ego semper et nuper admodum in litteris ad Meurerum praedicavi te, ut omnibus nobis ingenium tuum antefeream. Et ita certe est, te praeclaro Dei et incomparabili dono ornatum esse. Quod beneficium agnosce, et cum Tobia, quem initio proposui, age gratias Deo per Christum omnibus diebus vitae tuae. Non explicabo partes officii tui. Adjunctus es honestis adolescentibus et bonis, ut tuo exemplo excitentur ad pietatem, virtutem, modestiam, diligentiam: cave igitur, aut eos offendas aut alienes. Nulli labori parce: Werteris quoque nostris, quantum potes et quacunque in re potes, inservi: fratrem excita, et ipsum retine, qui mihi semper concionari melius videtur de labore quam ipsum amplecti. (Non aegre hoc ferat; non possum enim apud eos, quos tanquam animam meam amo, simulator esse, et de meo in vos animo aliquando rectius iudicabis.) Hospita Argentorati si quid privati officii, quod mihi promisit, in te conferet, ostende te memorem vel cum jactura studiorum tuorum: Iosephi filii illius studiis unam horam die inservi. Ego expertus sum, quid possint ad animos conciliandos talia studia. Non tamen quasi jussus id age, vel a me vel a Blasio, sed postquam in aliquam artium illarum notitiam veneris, tua sponte suscipe. D. Ioannem Sturmium

diligenter audi, et in classibus, quas te imprimis adire volo, ad praecepta artium cognoscenda diligenter te exerce. Utinam, utinam inspiceres sollicitudinem de vobis meam! cupio enim vos auctos doctrina, virtute, pulcherrimarum rerum cognitione aliquando cum laetitia animi mei inspicere et amplecti. In invocatione filii Dei mane, et moderate cole studia: non insectare quemquam, tales enim odit Deus, et Blasius, ut et literae ejus proximae declararunt, est in ea re imprudentissimus. Novit quam saepe sit admonitus: hortare tu quoque. Sapientis dictum est: Qui amat periculum, peribit in illo. Discat sapere, discat sentire et judicare de omnibus moderate. Si quod ingenii donum aut cognitionis munus prae aliis habemus, serviat id omne caritati, non caluminae, modestiae, non insectationi, gratiarum actioni, non superbiae. In scribendo quid tibi faciendum sit, quisve imitandus, saepe te monui, et nunc disces ab optimo magistro Ioanne Sturmio. O frater, relinque omnes voluptates, et utere beneficio Dei, liberalitate patroni, opportunitate temporis, consilio meo. Preces meae non desunt, et propter vos Misericordias Domini in aeternum cantabo.

Haec ut quaeque inter scribendum in mentem venerunt, ita exaravi. Tu has et alias litteras de moribus et studiis ad te scriptas in unum aliquem librum conjice et saepius lege: non te poenitebit operae. Restant pauca, quae judico esse praesentis temporis; modo enim dicta quae sunt, totius vitae erunt praecepta. Ex Porta ita discede, ut videaris et tuis benefactoribus esse quam gratissimus, et nihil quidquam offensionis post te reliquisse. Oeconoמו carminè age gratias: praeceptoribus tuis agere verbo non potes, sed per omnem vitam debes illis esse obligatus veneratione et observantia. Sociis studiorum singulis valedicito. Supellectilem non plane necessariam relinque, et pauculos libros tecum accipe ac maxime

necessarios; habebis enim omnia cum Blasio communia. Tua diligenter compinge quae relinquis, et commenda uni ex praeceptoribus, ne puerorum lascivia, ut fit, aut tollantur aut certe violentur. Nihil jam aliud habeo, quam ut te commendem Deo, et moneam, ut praecepta haec audias. Deo autem patri per Iesum Christum gratias ago sempiternas, qui nobis spiritu sancto suo se patefecit, et nos omnes suis muneribus ornavit, quique in nobis a prima usque aetate nostra ostendit, se respicere ad pauperes, quos non desertos esse vult pati, neque potest pati, modo nomen ipsius invocent et toti de eo pendean. Oro autem te, aeterne, omnipotens, benigne pater, ut tua munera in nobis augeas, et spiritum sanctum tuum porro invocantibus te in nomine filii tui, domini nostri Iesu Christi, largiaris, ut te confiteamur, tua beneficia praedicemus, iisque utamur ad gloriam nominis tui et utilitatem aliorum hominum. Conserva nos ab insidiis Diaboli, a voluptatibus carnis et mundi, ut puris cordibus et conscientiiis laetis semper invocemus te, et tuis tantis in nos beneficiis ad gratiarum actionem excitati perpetuo cantemus laudes tuas, et bonis exemplis duces simus iis, quibus tu nos praeesse voluisti, per Iesum Christum filium tuum. Amen.

Vale, mi frater, et desiderium tui crebris litteris leni.
Misenaë. Cal. Iulii 1548.

Georgius. “

Restat, ut Fabriciorum tabulam quae dicitur genealogicam, quam Schreberum et reliquos auctores, quibus uti tum licebat, imprudentius sequuti mancarn edidimus vitae p. 107., ut nunc Foerstemanno ex codice Nordhusano emendatam auctamque debemus, h. l. subjiciamus.

De *Wolango Meurero* Altenbergensi, ad quem scripta est maxima pars epistolarum, in vita Fabricii nostra p. 85. haec dedimus: „Natus ille a. 1513. e puerorum schola Pirnensi transiit Lipsiam, ubi iu magna gratia fuit Casp. Borneri, a quo in operae scholasticae societatem ascitus est cum Ge. Fabricio (v. Io. Aug. Ernest. elog. Borneri p. 454.). Post aliquot annos Senatus Lipsiensis ei commisit regimen scholae Nicolaitanae. Scripsit ibi librum perutilem *de ratione et ordine studiorum recte instituendo*. Inde in academiam transgressus suffectusque Bornero philosophiam docuit et artem physicam, mox ad rem medicam se convertit. Tum iter in Italiam fecit sociis Wolfg. Werthero, Ge. Fabricio, Ulrico Mordeisenio. Revocatus ex Italia a Mauricio Electore Lipsiae docuit philosophiam Aristotelicam, idem senatorio ordini Lipsiensi ascriptus collegio medicorum academico. Decani dignitate praefectus et ab Augusto Electore cancellarii honore ornatus est. Obiit a. 1583.“ V. Adami vit. medic. p. III., Alb. Forbigeri Beiträge zur Gesch. der Nicolaischule in Leipzig. Leipz. 1826., Nobbe in progr. sch. Nicol. 1829. p. 4., de Langenn hist. Mauric. P. II. p. 125. al.

n
r
n
M
M
sc

e-
n



I.

S. Quamvis maxima essem affectus tristitia, cum amantissimas tuas acciperem literas, tamen iis sic recreatus sum, ut omnem penè abstergerent animi molestiam; igitur cum tam amicè ac plus quam familiariter adhorteris, ut saepe ad te scribam, nolui preces tuas honestissimas repudiare. Quod me tantopere laudas, quantum nec agnoscere nec postulare audeo, facis more tuo, hoc est, planè amicè, neque enim quidquam in me aut eruditionis aut ingenii, quod preconium aliquod mereatur. Volui carmine ad te misso voluntatem utcumque tibi probare meam, utinam tam feliciter successisset, quàm sedulò feci. Mihi horrida ista et inculta non satisfaciunt ipsi, quanto minus tuo palato tam docto et eleganti satisfacere possunt. Abundè igitur mihi relatum gratiam putabo, si ista te boni consuluisse intellexero. Tibi sanè plurimùm debere me fateor, quod non solum me valde amaris, sed prolixè etiam de me meritis sis; quid enim unquam de te benè merui, quod tanta humanitate et benevolentia hominem infimum ac longè tui dissimilem prosequeris, neque eo contentus tua studia etiam absenti benignè pollicitus es. Ergo si qua in re opera mea uti potes, audacter impera, nihil enim non impetrabis. Vide autem quàm importune quàmque impudenter faciam, qui novis precibus te sollicitare non verear. Orare jussit Hertelius, ut cationes illas, quas cùm spectandam exhiberes Comici fabulam, cecinisti, sibi communices. brevi enim, ut opinor, acturus est Andriam. Si fieri potest, homini tui studiosissimo viroque optimo morem gere. Nova haec sunt. Caesar se in Hispanias contulit una cum VI. M. Germanorum militum, Massiliam et

1536.
Epistolae -
Chemnice n
ses.

quasdam Italiae urbes praesidiis munivit, ferè autem XVIII. M. bellum et pestis absumpsit. Haec ab episcopo quodam G. Agricolae sunt perscripta, tu, si quid habes aliud rerum novarum, doctori perscribe, dici enim vix potest, quantopere istis rebus studeat, fortassis et ipse res gestas Germanorum orbi proditurus. Totus jam est in libris metallicis. Salutat te Hertelius. Saluta meo nomine doctiss. virum Bornerum. Vale et verbositati ignosce. Chemnicii Caesarei Hermundurorum IV. Id. Novemb. Anno Chr. MDXXXVI.

Georgius Fabricius Chem.

Doctissimo viro M. Vuolfgango Meurer ludi senatorii Lipsiae rectori, amico suo. III. Idus Novembr. 1536.

II.

1537.

S. Quod librum promissum serius mitto, in caussa fuit non oblivio, ut tu suspicaris, sed nuncii, quibus tutò committeretur, Deum testor. Quare te oro, ne aegrè feras moram istam. Potes remittere, quandò libitum fuerit. Novi hic nihil est, nisi quod miram fabulam egit Abbas noster. Is, praeter innumera scorta, quae isthic ac Magdeburgi alit, ante annos aliquot tres sorores corruptit, et ne res infamiae sibi esset, singulis dotem dedit, ut honestè elocari possent. Non contentus autem hoc tam insigni ac inaudito scelere impurissimus nebulo, iterum duabus puellis (alii tribus dicunt) duabus inquam verissimè, iis denique sororibus vicium obtulit et cum juniore triennium aut plus eo consuevit, eamque sub habitu interdum pueri, interdum monachi textit. Deinde, quoniam aliquoties pepererat, ne scelus proderetur, compressam viro bono *) despondit. Qui cum semivir, deformis ac loripes esset, puella nondum decimum octavum egressa annum cum alio au- fugit. Deprehensi ambo, vir capite punitus, ipsa virgis caesa est, et ita caesa est a duobus carnificibus, ut, nisi divina ope servata esset, non potuisset horam supervivere, id ea de causa factum est, ut si illa animam exhalaret, incestus Abbatis cela-

*) Merg. Fabricii manu *Virum bonum quem dicunt Germani.*

retur. Recepta igitur in urbem a chirurgis curatur, et quod prius in carcere, jam propalam confitetur de patre illo sancto et plurimum in Christo reverendo. Princeps re ad se delata nuncium equestrem IV. Kl. Junii huc misit, qui a muliere caesa rem omnem expiscatus est. Evocavit autem Dresdam Cos. Schueziū, Abbatis combibonem, princeps, fortasse de poena hominis nefarii et incestuosi consulturus. Quis non miretur tam horrendum scelus in homine isto, si homo dicendus est τὸ ἐρώσιον ἄχθος ἀρούρης, et qui nihil hominis praeter faciem habet, quamvis et eam ebriam ac belluinam. Audio Cygnae in Abbatem compositam Germanicam cantiunculam valde mordacem, eam quoque si fuero nactus, mittam. Haec tuae fidei, Vir optime, committo, quae communicabis Dominis M. Bornero et Nicolao, eosque meo nomine honorificè salutabis. Pro xenio tuo, quod praesenti dedisti, gratias habeo ingentes, relaturus, si facultas dabitur. Salutat te plurimum optimus vir Valentinus Hertelius. Kempnicii pridie Kl. Jun. Anno redditae salutis MCXXXVII.

Tuus F. Ch.

Doctissimo viro M. Vuolfgango Meurer, suo amico. Pridie Nonas Iunii 1537.

III.

Salve. Accipis annotationes in Virgilium. Vuitebergam scribam, ubi dabitur opportunitas. Saccus, in quem inclusae annotationes, est Francisci, ei redde et meo nomine gratias age. Quae tibi scripsi amicis ostendas, sed preme nomen meum, nequid inde mihi negotii. Si dabitur ocium, scribam etiam καταστροφῇ fabulae. Vale et Fabricium, quod facis, ama. Kempnicii.

Georgius Fabricius.

Doctissimo viro M. Vuolfgango Meurer amico ac domino suo. Pridie Nonas Iunii 1537.

IV.

1537.

S. Valeo, si vales. Pasquillum, quem nuper huc misisti, jam probat Agricola, dicitque se primò falsum esse, sed postquam attentius introspexerit, videri sibi a quodam arguto et rerum Italicarum callentissimo scriptum, vixque intra multos annos tam verè Pasquillum editum. De Florentinis, Venetis et Pontificibus quae scribit, sic se habere omnia, et autorem haec paulò obscurius indicasse videri, quae versipellis Italorum ingeniis ignota aut obscura minimè sint. Valeat Pasquillus. Literae tuae pergratae mihi fuerunt, quoniam singulare quoddam et evidens benevolentiae voluntatisque in me tuae testimonium dedere, quòd quamvis fueris tum temporis occupatissimus, nolueris tamen vacuum tabellionem ad me reverti. Ante ergo a membris divider ipse meis, ut poeta canit, quàm non sim memor tui in me studii futurus. Joannem Gygantem meo nomine humaniter saluta et ad mihi respondendum, si licet, hortare. Si deerit Francisco pecunia ad emendos, de quibus scripsi, libros, ut ei mutueris, vehementer peto, reddetur statim. Si quid novi, quod ad nos magnoperè pertinere videbitur, communica. Vale. In medicina quidquid bonorum librorum est editum, annotatum mitte, id petit Agricola. Denuo vale. Kempnicii VII Kl. Octbr. Anno MDXXXVII.

Georgius Fabricius totus tuus.

Doctissimo humanissimoque viro D. Mgro Vuolfgango Palaereo, amico suo. III. Calend. Octbr. 1537.

V.

1538.

S. Literas nuper ad te cum carmine ad Aemylum dedi, sed an auriga fideliter reddiderit, ignoro. Quamobrem, si per studia tua licet, quam primùm ista me cura levato. Georgius Agricola editurus est orationem de bello Turcis inferendo, quam aliquot ante annos scripsit; eam si Vuolrabius emendatè excudere et vellet et posset, darem operam ac efficerem apud D. Agricolam, ut illi edendam mitteret. Si non molestum est, oro ut illum convenias, et me de ejus animo certiore reddas. Si vacant operae, exscribetur, ut ante Francofordienses

mundinas absolvere possit. Ne gravare, mi suaviss.. Vuolfgange, hac in re obsequi mihi. Plura jam per occupationes non licuit. Vale et Fabricium tuum ama. Saluta ex me Gygantem et Franciscum. Kempnicii VIII. Id. Febr.

Georgius Fabricius T. T.

Tragoediae Senecae si venales apud vos sunt, eme et per hunc mitte. Reddam per Musas omnia fideliter.

Erudito viro dn. M. Vuolfango Palaeoreo amico suo.
Postridiè Nonas Februar 1538. Leipzig vff. der Nicolaßschul
dem Hern Nigro.

VI*).

S. Quamvis non ignorem te plurimis negotiis impediri, facere tamen non possum, quin id quod olim literis recepi, tandem praestem. Mitto igitur locos, quos in Ovidio observavi, eos ut diligenter percurras et examines abs te peto, utque tuum iudicium, quod **) ego semper feci plurimum, audacter significes, tanto quanto maximo possum studio te oro. Videbuntur quaedam temere castigata, quae tamen si attentis oculis, collatis praecedentibus et sequentibus, inspexeris, non tam libere quam verè annotata invenies. Nihil tamen obstinate a tui similibus admonitus (?) defendere in animo est, praesertim cum ipse mihi diffidam, nondum confirmato satis tum aetate tum eruditione iudicio meo. Pleraque sunt, in quibus etiam doctissimus quisque haerere aut certè subdubitare possit. idcirco multa timidè notavi tantum, nam in paucis et nonnisi exploratis penè iudicavi. Si conatus mei nimis audaces καὶ γενναῖοι videbuntur, illud tibi persuadeas, mi Vuolfgange, velim, me in honestis rebus nugari et errare malle, quàm cum ociosis istis intempestivis conviviis aut nocturnis poculis et rem et tempus unà cum aetatis flore perdere. Librum ipsum, quum

*) Ael. ep. VI. Hujus epistolae autographon periit, sed est illa in apographis bibl. Paul. Reddidit etiam partem a verbis: *Mitto igitur locos usque ad venire sine Schreber. vit. Fabr. p. 210.*

**) (apogr. quo).

primum *) commodum est, remitte, nec in alienas manus rem tibi creditam venire sine. Ignosce autem, suaviss. Vuolfgange, quod tantam de tuo in me amore fiduciam ceperim. Sed libenter, ita me Dn. servet, emendari cupio, nec in ostentationem haec scripsi, sed ut ocii mei privatim mihi ratio constet. Nam sunt hodie ingenio et doctrina clari atque praestantes viri, quibus hae res curae sunt. Vale. Salutat te Hertelius. Si aderit Aemylus noster, eum meis verbis saluta honorificè. Faciet mihi pergratum, si vel una literula ostenderit, placuisse sibi nugas meas. Denuo vale. Kempnicii III. Id. Majas XXXVIII.

Georgius Fabricius.

Eruditissimo clarissimoque viro D. Mgro. Vuolfgango Meurer amico praecipuo Lipsiae. III. Idus Maji 1538.

VII.

1539.

Epistolae Italicae. In autographis epist. Ital. extant quae hujus collectionis sunt IX. et X., reliquae sunt in apographis bibl. Paul.

S. P. Librum Massae reddet tibi famulus Vuolfgangi de Vnertern, a quo precibus impetravi, ut secum in Germaniam deportaret. Ego quid novi ad te scribam habeo nihil, nisi quod salvus Patavium perveni. Quod si dabitur argumentum aliquod, non desiderabis in Fabricio officium. Schedulam, in qua insignes Italiae bibliothecas annotaram, in itinere amisi; facies igitur rem mihi longe gratissimam, si ejus exemplum, quam (l. quod) tecum communicavi, ad me mittes. Mors Saxoniae ducis Georgii aliquam pariet in imperio novitatem; quod si quid erit quod scribi dignum existimes, abs te vehementer etiam atque etiam peto, per literas aliquando ut significes. Vale et brevitati ignosce. Saluta Franciscum. Ex Patavio VII. Kl. Iunii MDXXXIX.

Georgius Fabricius.

Eruditissimo viro D. Vuolfgango Meurer amico colendo Lipsiae. V. Calend. Augusti 1539.

*) *quum primum*, Schreber. *quam primum*.

VIII.

1540.

S. Licet per me, ut aliquid ad te literarum darem, incensus eram, tamen cum accederet diligens Leonardi nostri Badehorni adhortatio, alacrior ad id factus sum, praesertim cum ille certi mihi hominis potestatem, quorum mira solet esse paucitas, praeterea offerret. Eam igitur occasionem, licet in summis occupationibus tam avidè arripui, ut putarem me amicitiae veteri esse facturum injuriam, nisi aliqua memoris animi significatione eam testarer. Quod si mutua esse debet literarum missio, ego tuas meritò jam expectabam, quas elicere statim atque Patavium perveni primis ad te datis conatus sum.

Quamobrem si cessatio mea vel diuturnior paulò vel esse praeter naturam meam videbitur, tribues eam non inhumanitati, a qua longissime abesse studeo, nè vero etiam oblivioni tui, cum nullas isthic (l. istuc) miserim, in quibus non tui mentio aliqua plena amoris facta sit, sed iis potius ipsis causis, quae te ad hunc usque diem a scribendo remoratae sunt. Quod si gratum tibi erit, ut antehac fuit hoc officium meum, non committes in posterum, ut mihi desit ejus declarandi voluntas. Hoc enim tibi de me persuadeas velim, me effecturum, ut quis potius quàm tu meam diligentiam et in respondendo crebritatem desideret. — Te Decanum esse factum, eoque honore auctum, qui et inter eruditos honestissimus et te viro omni liberali disciplina exulto dignissimus, tibi ego et Leonardus gratulamur, magis etiam gravisuri, si tuae nos literae de reliquo statu rerum reddiderint certiores. — Constans rumor est et hic et Venetiis, ducem Cattorum pellicem uxori induxisse specie conjugii, a nescio quo Dionysio sacrificulo impulsam. Sed vero minime simile videtur, tantae libidinis exemplum praebere et principem Germanum, et propter opinionem virtutis ac religionis tuendae constantiam jam pridem celeberrimum. Sive igitur ab iniquis confictum hoc est, sive (quod omen Deus avertat) — fac ut sciamus certò, ut vel cum egregio principe patefactis calumniis intra nos laetemur, vel una cum piis hominibus mentem illi a Deo meliorem precemur. Vale. Bornero plurimam salutem. Georgio Celeri communi amico scripsi nu-

per, sed plane noctuas Athenas; eum salutabis rogabisque meo nomine, ne aliter interpretetur atque feci ipse. Denuo vale. Ex Patavio. IX. Cal. Sept. ann. MDXXXX.

Inclusas ut Rivio reddendas cures, te oro.

Georgius Fabricius.

Spectatae probitatis ac eruditionis viro domino M. Vuolfgango Meurer amico suo Decano Lipsiensis Academiae. V. Idus Octobr. 1540.

IX.

1543.

S. P. D. Vereor ne desideres diligentiam in permutanda pecunia tua, quam cum hospite nostro ad te misissem, sed in causa hoc fuit. Ungarici permutantur coronato uno et drachmis octo, Salisburgenses et alii tantum septem, ita enim mihi retulit aurifex. Aliam sumere operam nolui, nam si adventum nostrum expectare potes, nos tibi solvemus. sin minus, faciemus id quod jusseris. Sprembergio tuas reddidi, a quo jam fortasse responsum est. Tu quod in patriam scripturus es, non (l. ne) differ longius, et in literis ad Bornerum utere amica excusatione vel culpae vel erroris nostri, in quo si quid peccatum a me est, totum amoris et officio tribui debet, cujus rei testes non alios habeo quam te, conscientiam, Deum ipsum. Quod si non optimam spem de illius in me animo ac prope certam concepissem, non fuisset ausus ad eum scribere neque de ludo, neque de nefariis impiisque contentionibus, quas non ob Remp. et literas, sed pecuniam et honores suscipi, non ipse solum tot epistolis, sed et alii uno ore conqueruntur omnes. De eo autem, in quo laedi existimationem hominis amici et bene de me meriti videbam, admonui libere, aperte, candide, ut haberet, quod caveret, non quod accusaret. nunquam enim de fide et benevolentia, quam ille patriae et studiosis praestat, dubitavi, imò verò praeclarè sensi et honorificè locutus sum. Quod si tantopere offensus est, ut placari nequeat, ferendum fortiter est, praesertim cum in errore et suspitione versetur. Sin me talem esse senserit, qualis esse debeo et omni ratione

vehementer studeo, facile deponet affectionem illam, eoque me ardentius posthac amabit, quo studiosiorem dignitatis suae et ipsius recti cognoverit. Haec cum eo velim diligenter agas, nam cum ad Agricola, Hertelium, Badehornum, te ipsum denique de illa quasi injuria scripserit, cogitandum tibi relinquo, et quam aequus in me sit, ad quem verbum nullum, et quo animo ista ego ferre debeam. Recordatio certe me pungit, nec ignoro suspensiones in amicitias incidere et magnorum malorum causas esse, quibus ne indulgeam aliquid, illum non minus amabo, quam amavi semper, et quia studiosum juventutis cognovi, et ab omni cupiditate longe remotum, ut nihil de privatis meritis dicam. Vale. VII. Cal. Sept. Venetiis ex aedib. Cassandrae apud S. Fantinum. MDXLIII. Tuus qualis quantus

G. Fabricius.

Doctiss. viro Vuolfgango Meurero Germano, amicissimo suo, a Padua in divinali in casa di Madona Piza. VI. Calend. Septemb. 1543.

X.

R̄. Scrupulum tuum et drachmam meam pulveriza et fiat concoctio in solidis duobus. Adhibe ducatos Ungaricos et coronatos Venetos, distillentur per Mocenigos sex, solidos decem. Comparetur una bursa nova et bona, unde nihil excidat. Curabit multos graves et molestos morbos. Haec tamen distillatio quia fieri Patavii melius quam Venetiis potest, mitto ad te speciem unam, caetera tu curabis. Adjunxit etiam Sprembergius quatuor Ungaricos, quibus eandem adhibeas medicinam. Quae tibi reliqui, ea colligata ad me mitte cum Vertero brevi redituro. Item cistellam illam, quam mihi Badehornus dono dedit, ab ipso pete et mitte. De Bornero committo iudicio et diligentiae tuae. Quae ab Adamo a Dietrichstein accepisti post discessum meum, apud te retine, donec ipse adveniam, eumque cum Sigismundo fratre et Adamo altero saluta. Admone Lucam debiti sui, ut reperiam versus (l. reversus). Turca Strigonio oppido per vim pōtitus, quae jactura eo gravior, quo

magis enituit virtus illorum, qui in praesidiis fuerunt. Plura non licet. Vale. III. Cal. Sept. Venetiis.

Fabricius.

Volfango Meurero amico suo Patavii. III. Cal. Sept. 1543.

XI.

1544.
*Epistolae
Beichlin-
genses.*

S. P. D. Ego in solitudine et silentio hic vivens nihil audio, rerum ignarus omnium sum. Tu vero, qui celebri loco in clarissima luce versaris, multa vides atque cognoscis, de quibus si ad nos scribes, pristinam inter nos revocabis consuetudinem; neque vero scire desidero, quae rumusculis hominum levium jactari solent, nihil enim ad nos pertinent, et otii atque ignaviae cujusdam sunt, sed ea de quibus, coram cum sumus, agere solemus, de litterarum studiis, de bonorum in iis evehendis consensu, de frequentia auditorum vestrorum, in primis vero de te, quem florere in animis, inque oculis studiosae adolescentiae versari, hic penè cernimus. Adventum enim tuum, ut optatus fuit, ita gratum accidisse omnibus, suavissimae Borneri nostri litterae declararunt. Te a Camerario diligi scio et gaudeo, speroque conjunctionem vestram, studiorumque atque consiliorum communicationem vobis jucundam, Reipublicae vero et literis futuram fructuosam. Ad Badehornum cum Damiano scripsi sane multis, is hinc Moguntiacum ivit, inde aut Venetiam aut Aemiliam studiorum gratia repetiturus. Nosti spem nostram, quam conceperamus, sed eam ego penè abjeci. De pecunia amico nostro rescribenda velim cures didigenter, et Vuerterum in tempore admoneas. Profectionis tuae fructu, quod coram petii, me non privabis, egoque a te etiam peto vehementius. Odas meas si perlegere potuisti, judicium aut potius sententiam tuam libere perscribe. Salutant te Vuerteri omnes, et frater meus, cui meliuscule nunc est. Vale. Ex Beichlingo Turingorum XVII. Cal. Sept.

Georgius Fabricius.

*Doctissimo viro Volfango Meurero, amico suo Lipsiae.
XIII. Cal. Sept. 1544.*

XII.

S. Vestras accepi, tibi tantum rescribo. nam et solus monuisti me, et solus longissimas misisti. tuis monitis parebo, neque discedam latum, quod ajunt, unguem a voluntate tua, nam plena suavitatis, officii et amoris, prudentiae omnia illa sunt, quae tu censuisti, mihiq; ita grata, ita jucunda pars illa literarum tuarum accidit, ut nihil ad voluptatem animi mei videretur posse accedere. Tibi gratias ago, quantas amicus agere potest, relaturus tunc, cum potero, idque tibi de me persuadeas velim. In epitaphiis Pfeilii non facio tecum. nam illud quod tu eligis mihi minime placuit. Videtur enim epigrammati similis quam epitaphio. Iambicum praefero. audi nunc, nisi molestum est, etiam aliud, quod simul et cogitatum et scriptum:

Doctrina insignem, clarum pietate fideque
 Nomine vis uno dicere? Pfeilus erat,
 Huic virtus posuit monumentum laudis, at uxor
 Et tumulo lachrymas addidit et titulum.

Excusatum me habebunt et Bornerus et Camerarius, nam scribere hoc tempore non licet. Saluta Naevium, cujus excusatio amica quidem est, sed cur eā potius uti voluit, quam literis? Albertum, Cruserum, Celerem, nostros omnes. Vale, mi optime Volgange et hodoeporicon a me expecta. Ex Beichlingo VII. Cal. Octobris.

Tuus Fabricius.

Accipies quinque thaleros ad nundinas Lipsienses aestivas, meo nomine. quatuor ad matrem mittes, pro reliquo emes Epistolas Ciceronis ad Atticum Argentorati excusas, eas ligandas cura. Alteras Portam mitte ad Iacobum fratrem, alteras ad Andream Chemnicium.

*Optimo et eruditissimo viro M. Volgango Meurero Philoso-
 pho, amico suo. Lipsiae. III. Cal. Octbr. 1544.*

XIII.

S. Inclusas ut Fribergam mittas ad Hertelium te rogo. Quod si id ante nundinas vestras non potes, cura investigan-

1544.

dum Coresium apud pistorem, qui habitat proxime portam Grimanam, apud eum enim conductum cubiculum et hospitium in nundinis habet. Ego quid praeterea scribam non habeo. Tibi fausta omnia precor et me plurimum commendo. Si quem habes, qui Mogunciacum aut Argentoratum iter faciat, sine literis non (scr. ne) dimitte. Mogunciaci Julio Pflug reddendas cura. Vale. V. Cal. Octobris, cum nos postridie iter essemus ingressuri, quod bene vertat is qui omnia moderatur, Deus. Curru ibimus comitante nuncio itineris perito, et equite uno. Quantum sit in consuetudine literata, jam sentio et eum molestia quadam animi mei a Volfgango discedo, qui nos etiam tenuit quamdiu potuit. Vale etiam atque etiam et me ama. Ex Beichlingo.

G. Fabricius.

Doctiss. viro Volfgango Meurero, graeco philosophiae professori, amico opt. et conjunctissimo Lipsiae. Burchardi 1544.

XIV.

*Epistolae
Argentoraten-
sae.*

S. Hodoeporicon, quod Argentoratum proficiscens tibi per literas sum pollicitus, ad te mitto; nam quia tecum esse nequeo, refugio me ipsum et consolor recordatione consuetudinis nostrae, quod te mutuò facere, Volfgange, non dubito. Atque ut iter ipsum faustum nobis fuit, ita principia Argentorati acciderunt duriora, cum propter difficultatem rerum omnium, tum propter valetudinem Philippi Vuerteri; sed altera molestia nos liberavit Deus, alteram levat spes meliorum temporum. Sturmio utor amice ac familiariter, et tui memoriam apud eum aliquoties renovavi. Velim ad eum literas saepius mittas. Studiorum ratio placet mihi vehementer, atque utinam viam illam docendi, quam habet Sturmius, scirent multi, et hujus Reip. institutum civitates sequerentur omnes. Sed haec cum partim ipse videris, partim ex aliis cognoveris, non est necesse longius persequi. De Badehorno si quid habes, item de Cordo, mecum communica, utrumque enim amo plurimum. Scripsissem ad te multa, sed occupatus fui, et a te etiam argumentum exspecto, quare mihi ignoscas velim. Ages etiam diligen-

ter cum Bornero, ne iniquo animo ferat silentium meum, quod ego illi alio tempore facile sarciam. Vale et amicos nostros saluta. Argentorati IV. Cal. Decemb. MDXLIV.

Nundinis vestris occasionem scribendi habebitis, quam ne dimittatis, vehementer oro. *Habituamus in der Munstergasse bey Jacob Froschesser.*

Jacobus frater meus solitus est singulis mensibus aliquid exercitationum suarum ad me mittere. eas ut ad te jam mittat, scripsi. Id ideo facio, ne reddatur negligentior. Si mittes ad eum Ciceronis epistolas, adjuuge literulas, quibus intelligat, id virtuti et diligentiae munus tribui. Facies mihi rem vehementer gratam. Ego cogar multa tibi imponere posthac meorum caussa ejusmodi negotia, quae ut libenti faciliq̃ue animo suscipias te rogo. Denuo vale.

Georgius Fabricius Volfango Meurero.

Quae nos ad patrias fortuna reduxerit oras,
 Linquentes claram studiis Antenoris urbem,
 Legisti; rursus quo sidere, quoque profecti
 Auspicio atque via Trebocum simus ad Ellum,
 Qua sua cum viridi confundit flumina Rheno,
 Nunc lege. Tempus erat, tumidas quo vinitor uvas
 Pressat, et aequoreis cum piscibus occidit Argo,
 Nos Helmaepontem primum cum fratribus ire
 Causa animi placuit Vuertero. ea villa dicata est
 Nymphis Arcadiaeque deo pulcrisque Camoenis.
 Hic quoniam nobis non abnuat usque morari,
 Non lepus in campis, non ales in aëre tutum
 Carpsit iter, timuitque suo sibi flumine piscis.
 Post iter ingredimur Beichlingi sede relicta,
 Suaviter in studiis ubi totum viximus annum,
 Ante tamen superos his verbis pene precati:
 Hanc rege Christe viam, quam nunc virtutis amore
 Suscipimus, comitemque fidelem coelitus adde,
 Qui nos incolumes ducat, vitamque gubernet
 Ac studium, et patriis reddat feliciter oris.
 Egressum jam limen erat, cum Lossa relicta est
 Et ripam effusi superans saepe Unster habenis
 Angustam tacitoque secans Tempe aurea cursu.

Interpretationes locorum Fabricii manu adscriptae sunt.

*Helmae-
pons opp.*

Beichlingum arx.

Lossa }
 Unster } *fluv.*

*Lacus Leu-
cius.*

Helba } *fluv.*
Clinga

*Heilingum
arx.*

*Salza opp.
et fluv.*

*Horrisonus
mons.
Iacnacum.*

*Vuartber-
gae arx.
D. Eliza-
betha.*

Horsela }
Ellae } *fluv.*
Sula }
Vella }
Facha opp.
Vuerra } *fluv.*
Unster

*Rosdorfum
arx agrico-
larum.*

*Hunefeldae
opp.
Hana fluv.*

Inde lacus liquidis sortitus nomen ab undis
Leucius, exiguoque leves quae tramite volvit
Helba topbos, sociatque brevi sua flumina Clingae.
His sua dona locis pariter Bacchusque Ceresque
Ostentant et ditat Isatidis herba colonos.
Vesper erat, nos Heilinga sumus arce recepti,
Perpetuam hac Pietas legit et Concordia sedem,
Quattuor una domus fratres eademque voluntas,
Omnibus ac studium regere et parere vicissim.
Vix in Amycleis geminis quod Graecia quondam
Persuasit populis, hoc credat tempore nemo.
Tum Salzae muros et eodem nomine flumen
In pluvia praetervehimur montemque videmus
Horrisonum et fluvium Nessam, atque in vallibus urbem
A ferro dictam vulgo, sed ab Iside doctis,
Quam coluit framea committens proelia Suevus,
Constituens illi silvis et montibus aras.
Imminet arx urbi, madidos qua respicit Austros,
Reginae sedes olim, quae sceptrum decusque
Quodcumque orbis habet, prae Christi spreuit amore,
Utque ministeriis inopum officiosa vacaret.
Horsela trajectusque Ellae cum flumine Sula,
Atque his Vella tribus major, vix nomine digni,
Nec raro ignoti propriis cultoribus amnes,
Post tergum montes inter vallemque relictis.
Vespere conspiciamus fumosae moenia Fachae,
Ad quae Vuerra suum consortem amplectitur Unstrum,
Sed minime talem, qualis Turingicus exit
Plana secans sociaeque Salae sua flumina jungens.
Concussi curra parva divertimus urbe.
Mane gravi in nebula surgentem cernere Phoebum,
Quamvis luce sua montes feriebat acutos,
Vix licuit, donec perrupta nube serenum
Exeruit vultum, et claro micat igneus orbe.
Inde caballinae surgebant culmina villae.
Hic sibi collectis struxerunt sumptibus arcem
Agricolae, tutamque tenent, et parta reponunt,
Praesidium dubiis ornamentumque secundis.
Gens ipsa exercet montes, et vomere saxa
Frangit, opesque parit pexo sibi foemina lino,
Educat ut duos communia pignora natos.
Non procul hinc lentae campum pervenimus Hanae.
Jam mersurus erat sua Cynthius ora profundo,

Altaque coeruleo splendebat silva colore,
 Atque rubore polus declivem pinxerat arcem,
 Nos Fuldam ingredimur, mirati templa rotamque
 Auream, et Idaeae resonantem sistra Cybeles (l. Cybebes),
 Ac sculpta in gemmis veterum pia facta parentum.
 Heu quantum a priscis haec distant secula seolis!
 Post silicis superata via est oclusaque silva,
 Et ventum ad tennes quos tangit Kinciga muros.
 Hospitis hic bonitate tamen vultuque benigno
 Exclusus labor est et nox jucunda securta.
 Ante Stenam silva est et fons purissimus ante
 Vuertheimū, hoc plano campo, jacet altera colle,
 Oppida parva; sacram Baccho Cererique Gethusam
 Imperiique urbem petimus, votoque potimur.
 Dumque fora et templum lustramus, forte querelas
 Fundentem legimus Christum et sic ore loquentem:
 Sum lux, nemo cupit talem cognoscere lucem,
 Sum via, nostra tamen sequitur vestigia nemo.
 Sum pius et placidus, nemo audet fidere nobis,
 Sum rerum coelique potens, me nemo veretur.
 Hinc meliore via Cattorum ex montibus altis
 In planum evecti munitam vidimus Hanam,
 Auget ubi Francum Fuldensis Kinciga Moenum.
 Mox offert turres Francfordia nobilis altas,
 Urbs decus imperii, qua primos Caesar honores
 Accipit, et titulam regni nomenque meretur,
 Lignea tota tamen nec claris splendida tectis,
 Sed claris ornata viris; huc saepe Camoenas
 In sua tecta trahit facunda voce Micyllus
 Suspensasque tenet Phoebeo numine plenus.
 Hic mihi Saxonicas adverso in littore sedes
 Cernere non socii, sed nox spatiumque negabant.
 Quam vellem praesens etiam, Meurere, fuisses,
 Cum nos ad coenam tempusque hospesque vocarent.
 Scindebantur enim studia in contraria cuncti,
 Ut fit, cum mentes caluissent, cumque loquentem
 Solliciti audirent, saevus, quid Turca pararet,
 Quique Dei templo et Romanae praesides urbi.
 Magnanimi quidam laudabant Caesaris acta,
 India cui dederit, cui tentata Africa nomen,
 Et sedata armis jam Gallia, sitque denturus
 Euxinus tandem Nili cum flumine Pontus.
 Quae quoniam acciperet non gratis auribus hospes,

Fulda opp.
et fluv.

Schluchter
opp.
Kinciga
fluv.

Stena opp.
Vuerthei-
mum opp.
Gethusa
urbs.

Hana opp.

Francofor-
dia urbs.

Saxenhusia
opp.

Hoesta opp.
Nida flav.

Hocheimum
opp.
Castellum
opp.
Moeniostia

Mogoncia-
cum urbs.

Typogra-
phiac inven-
tum.

Oppenhei-
mum opp.

Curvatura
Rheni.

Poneret et vilis Lennaei munera, Gallum
(Ignoscat Caesar) pleno laudavimus ore.
Tunc facundus erat, tunc omnia dicta probabat
Tristia contractae deponens nubila frontis.
Altera lux defert turritae ad moenia Hoestae,
Ad quam Nida, secans foecundos leniter agros,
Miscetur Moeno et placido caput occulit aene.
Hinc ad vitiferos Hocheimi pergere colles
Coepimus et dictum Castellum nomine vicum,
Ostia tangentem flavi placidissima Moeni.
Non mendax loquitur Latias hoc fama cohortes
Consedissee loco, testantur plurima signa
Sub terris inventa et priscis sculpta figuris,
Quarum res gestas et munera litera monstrat.
Transmisso Rheno praeclaram intravimus urbem,
Cui Magus atque Ciaee torrens conjuncta dedere
Nomina, dum Gallis regna immutata manerent.
Vidimus hic grandem Glandis cognomine molem,
Romani Druso quam constituisse feruntur,
Cui mortem et nomen victrix Germania fecit.
Quid referam, insignem divini pectoris artem
Scriptos ante manu nunc aere excudere libros?
Qua nihil utilius dedit ingeniosa vetustas,
Quamvis inventis laetetur Graecia multis,
Atque suum nobis terra Italia jactet acumen.
Quis vero nescit parvum intra moenia collem,
In quo si tergo jaceas vultuque supinus,
Suspensam cernis quasi in ipsis nubibus urbem.
Res mira, at credenda tamen, sed dicere caussam
Materia ipsa vetat, jamque aurem vellit Apollo.
Inde Oppenheimum progressi nave, quod olim
Rufiniana fuit vel quod Bauconia dictum,
Nomen enim in dubio est, nam nostri munera nunquam
Musarum, at duri tractarunt proelia Martis,
Nemoque res scripsit, fecerunt fortiter omnes.
Hinc tot facta patrum tantorum et origo locorum,
Tot veteres ritus Lethea nocte sepulti.
Sed puto tempus erit, cum nulla gloria gente
Nostra minor, quaecunque aevum coluere per artes,
Seu quae pace vigent, seu quae dominantur in armis.
Jam prope villa fuit, qua post curvamina longa
Rursus iter solitum leni tenet agmine Rhenus.
Hinc ad Vangionum nos cursus detulit urbem

Magnificam, eximiique soli, rerumque feracem
 Omnium, at exhaustam populo tamen inque frequentem,
 Quae, si jam (quid enim haec vetat et meliora precari?)

Victor discordem componet Carolus orbem,
 Aeternum cunctis celebrabitur inclyta seclis.

Postea Obersheimio post prandia in imbre relicto

Proxima Spira fuit, veteri de nomine lis est,
 Sed certum fortes quondam tenuisse Nemetes,

Opportuna situ, laetis uberrima campis,

Ampla loco, tectis ornata, augustaque templo,

Quod sex Caesaribus tribuit commune sepulcrum.

Haec nunc imperii totius jura tuetur.

Inde Grabam et tenuem Phinzae superavimus amnem

Principis ingressi florentia rura Badensis,

Majoresque ejus qua ceperat arce Rupertus

Caesar, ad imperium revocans, non jure rebelles,

Mulbergo excipimur sub sera crepuscula noctis.

Post Albam spatio non magno se brevis offert

Silva dicata feris, trepidus qua saepe fugaces

Faunus Hamadryades latebras intrare coëgit,

Fonsque via positus, placidis balantibus unda.

Postea Rastadium Morychumque relinquimus ammem

Rengamque Holchamque et cum Kinzae flumine Surrham.

Jamque ostentabat celsam cultissima turrim

Argentina, domus doctorum clara virorum,

Inter quos veluti reliqua inter lumina Phoebus

Sturmius excellit, cujus nos pectus et ora

Mirati, dulcem patriam caraque parentis

Spernentes lacrymas, sedem quaesivimus istam.

Argentorati III. Jul. Octbr. MDXLIV.

*Obersheimum opp.
 Spira urbs.*

*Graba arx.
 Phinza fluv.*

*Mulbergum arx.
 Alba fluv.*

*Rastadium opp.
 Morychus,
 Renga,
 Holcha,
 Kinza,
 Surrha fluvii.*

Argentoratium urbs.

XV.

S. Vereor, Volfgange, ne tibi gravis sim multitudine mandatorum; nullas enim post discessum meum ad te dedi literas, quae non haberent aliquid laboris atque molestiae. Sed me consolatur amor et humanitas tua, neque dubito tibi imponere, quod tua causa ipse quoque facturum sim cum libenter tum diligentissime. mihi enim certe officium, quod dignis fit, parit delectationem. Velim igitur cum Borneo agas, ut praefationem illam Latinam sui manuscripti, quam ex Numbur-

1545.

gensi bibliotheca habet, mihi describendam curet cum una atque altera pagina veri operis Germanici; cupio enim de eo doctorum et inprimis Beati Rhenani cognoscere iudicium atque sententiam. Huic adijunge ex peregrinationibus Italicis Jureconsultorum epitaphia, iis tamen omnibus exceptis, quae Patavii, Bononiae, Pisis sunt. nam ea mecum habeo. Petit a me quidam, quem puto aut ipsum scripturum eorum vitas, aut alicui qui id moliatur communicaturum*). Sturmii nostro rogatu auspicatus est suas partitiones dialecticas, easque aliqua accessione singulis lectionibus auget, efficitque et ratione interpretandi et verborum genere, ut ipse etiam Aristoteles, quem sequitur, facilis et apertus videatur. Utinam ne vis aliqua subiti morbi aut bellum inopinatos nos hinc extrudat, aut machinationes eorum, qui hanc urbem evangelii causa oderunt, timeo enim quadam animi mei divinatione. Si Vuerteri ita pergent, constituent nobilitati exemplum virtutis et doctrinae, id faxit ad ecclesiae suae et Reip. utilitatem Deus. Litteras hic adjunctas ad Agricola[m] mitte, ex quibus ille cognoscet, quibus se rationibus ἀνταγωνιστῆς Alciatus tueatur, quod ad ponderum et mensurarum tractationem attinet. Reservat sibi aliquid ille, et ut homines, qui quod respondent (l. respondeant) non habent, id in occupationes rejicit, sed tamen ad extremum manus videtur dare. Si quid novorum librorum apud vos, mihi significa et de Badehorno meo aliquid laeti adde. Vale et me ama. DD. Camerario et Bornero salutem. Argenterati VII. Idus Februarii MDXLV.

Tuus Fabricius.

Doctissimo viro Volfgango Meurero, Philosophiae professori, amico suo. Lipsiae im großen Collegio. postridie Reminiscere. 1545.

XVI.

S. Post triduum fortasse alias a me accipies, nunc quia ad te redit Vitenbergensis nuncius, quid per eum effici velim,

*) *Sturmii*. Refert haec verba usque ad *apertus videatur* Schreber. vit. Fabric. p. 301.

significabo. Scripsi cum eodem ad Stigelium, et eum de mea voluntate et Odarum libro certiore feci, eundemque reddi illi cupio, ut ejus quoque judicium atque sententiam cognoscam. Quod si apud te adhuc est, ad eum mitte, ea tamen conditione, ut exemplar ad me revertatur. Quod ut spero intra mensem ad me remittere poteris, ut ex proximis fortasse intelleges. Scripsit historiam Ph. Cominaeus eques Gallus, eam latinam fecit Sleidanus; quodsi legere aliquid cupis vere, sapienter, et ad imitationem illam antiquorum scriptum, illam tibi compara. Est de rebus gestis Ludovici regis XI. et Caroli Burgundiae ducis. Qui scripsit, ut magis mireris ingenii felicitatem, imperitus literarum latinarum graecarumque fuit. Vale et neminem sine literis ad me remitte. DD. Bornero et Badehorno salutem. Argentorati X. Cal. April. MDXLV.

Fabricius.

Viro doct. Wolfgango Meurero, Professori, amico suo Lipsiae in Collegio Principis. die Martis post paschat. 1545.

XVII.

S. P. Singulis diebus Almanum exspecto, qui onustus literis huc veniat, ad quas ego accommodare meas responsiones possim, simulque ex iis intelligere, num proximae ad te et Badehornum, quas Halim miseram, vobis sint redditae. Odas meas cum his duobus adolescentibus Cuiccaviensibus lectas et emendatas tibi licebit ad me remittere, ut cum accessione edantur, si edendas judicabis; sed cura, ut cum emblemate aliquo ad me revertantur. Hodoeporicon, quod ad te scripsi, a me petiit Hertelius, quod ut illi communicates, te rogo. Valerio Cordo tale scripsi epitaphium:

Noscere Paeonias herbas viresque medendi
 Jam Natura homini facta noverca negat.
 Invidiosa Macri rapuit monumenta vetustas,
 Nunc etiam Cordum mors violenta tulit.
 Hunc extinctum igitur vitae florentibus annis
 Tam procul a patria, crimen Apollo tuum est.
 Lilia sic violaeque cadunt, absynthia florent,
 Quanta heu heu rebus damna parata bonis.

*Italia huic tumultum tribuit, Germania vitam,
Quî potuit nasci clarius atque mori?*

Aliud:

*Ingenio superest Cordus, mens ipsa recepta est
Coelo; quod reliquum est, maxima Roma tenet.*

*Haec, quia nostra amas, tecum communicare volui. Stur-
mius te salutat. Vale. Argentorati IX. Cal. April. MDXLV. D.
Badehorno salutem.*

Georgius Fabricius.

*D. viro Volfgango Meurero, professori Lipsiae, amico
suo, in collegio Principis. XXVIII Aprilis 1545.*

XVIII.

S. Sturmîus ad te nihil jam scribit, peregre enim abest et totum pene mensem a lectionibus est feriat. Literas meas an ex Halli receperis, scire vehementer cupio. Turbat me, exceptas esse, nam omnino perditas mallet. Scripsi ad te alteras, quas Vuormaciam misi D. Stramburgo, eas te accepisse non dubito. Edictum Principis et Rectoris vestri de coercenda seditiosorum hominum temeritate huc est allatum. Librum Camerarii advorsus Latomum legendum nobis dederat Sturmîus: gratias tamen ago, quod miseris. Quidam ex nostris doctis bene factum dicebat, cum eum inspiceret, Latomum enim victum esse, qui et caussam, quam defendat, non intelligat, et graecam linguam ignoret; quamobrem male ipsum respondisse Bucero, et Camerario nunquam responsurum. Urbis Romae topographia B. Marliani ad Franciscum regem Gallorum, Urbis liberatorem invictum, ita enim Gnathonice inscribitur, edita nova est; eam legendam nobis dedit Villabachius, doctor urbanus, et literatus, testimonium enim Bullae habet. Contemplatio Mausolei plus illi dignitatis attulit, quam nobis utilitatis omnium ruinarum perreptatio. Graecam Syntaxin ad Iacobum fratrem mitto, quam si legere cupis, fila discinde, et deinde librum cum literis ad Cyriacum mitte. Ita tamen lege ut censor, non ut amicus. Scripsit ad me Gigas, se abiturum ex Porta, ut poetam. Ridicule mehercule! quid enim

sibi vult? Venerat ut theologus, discedet ut poeta. An venit numatus, nudus abit? non illud esse opinor. Fortasse dignitatem quaerebat et otium in solitudine et negotio, et sua spe frustratus poetice discedit? Quid igitur est ut poetam vel poetice discedere? an sine praemio, quia hodie sunt contempti? an libenti ac libero animo, quia in molestia et labore non libenter versantur? Vides quam malus essem futurus interpres in rebus difficilibus, cum in uno verbo haeream, et quo modo me expediam, non reperiam. Sed ne risum nostrum aliquis improbe interpretetur, tu caveto. Quoniam enim nihil habui, quod scriberem, volui cartam nugis implere, ne plane inanam mitterem. Amicus noster, de quo scire cupis, Lazarianum vicium habet; id quale sit, *ἐκ τῶν ἡγουμένων* divinabis. Simon Litonius, secundae classis praeceptor, magno sui desiderio relicto obiit. Vuerterus uterque scripsit, et uterque morbo satis molesto Dei beneficio jam liberatus est. In rebus meis novi alias nihil. Tu vale et me ama. Salutem D. Camerario et Bornero. Argentorati, die Margarethae MDXLV.

Fabricius.

Viro doctrina et probitate praedito Volfgango Meurero, philosophiae professori, amico suo Lipsiae. IX. Sept. 1545.

XIXa.

S. Superioribus literis scriptis et obsignatis, puer qui ad te iturus erat in morbum incidit; neque ego interim inveni quemquam qui ad vos iret, neque nunc magnopere habebam, quod ad illas adderem, nisi illud scire vis, Sturmium alterum quoque jam mensem abfuisse, neque adhuc, quando lectiones auspicaturus sit, certi sumus, quod sane nobis molestum est. Ego Terentium ex libro illo, quem Romae in Pontificis bibliotheca*) contuli, emendatum infra mensem Vuendelino typographo nostro excudendum dabo. Eum inscripsi Augusto Principi; argumenti illius (epistolae v. praefationis) summa est, Terentium puerili aetate propter res ipsas inutilem et propter ser-

Ad ep. XIX.
Haec est in
apogr. bibl.
Paul., in au-
togr. non
servata.
Verba *Ego*
Terentium
usque ad *sa-*
tisfactum.
erit labori
meo reddi-
dit etiam
Schreber.
vit. Fabric.
p. 214.

*) Schreber in *Bibliotheca Pontificis*.

monis genus intempestivum (esse)*). Explicationem castigationum addere necesse est. ea Rivio inscribetur. Explicabo in iis multorum locorum obscuritatem et veterum imitationem in quibusdam ostendam. Quod si assecutus fuero, ut et quarundam scholarum communis error tollatur, et optimus auctor intelligatur melius, satisfactum erit labori meo. De Odis nihil adhuc accepi a Stigelio, et vellem ipsum ad me eas remisisse. D. Badehorno scripsissem, sed fui occupatissimus, et in fasciculo, quem Hallim misi, etiam ad ipsum adjunctae erant, et maxime de eo sermone scribebam, quem ille tibi retulerat. Vestrum erit, hominis amicissimi et conjunctissimi causam non deserere. Audivi ei desponsam esse filiam doctoris cujusdam ex aula Principis nostri: quod si ita est, Deum precor ut illi cedat ex sententia matrimonium; puto autem socerum illi futurum aut Cummerstadium aut Pistorium. is tamen qui retulit, nihil certi affirmavit. Novi apud nos nihil est, nisi de novis comitiis Ratisbonae. Hic tributim delectus fiunt, timetur enim Caesar, qui creditur apud Metenses hybernaturus. Aurifex, quem tu Venetiis noveras, hic apud me fuit; is Caesaris et Galli legatos ad Turcam profectos dicebat. Strozza Maranum oppidum Venetis vendidit; talibus artibus sibi quaerunt imperium, quod mihi non videtur esse posse diuturnum. De novo quodam societatis foedere inter nostros duces inito hic rumor est. Sed a te plura et certiora expecto. D. Bornerum mone de eo quod rogavi. Vale. Ex Argentina. XVI. Cal. Sept. MDXLV.

G. Fabricius.

Doctissimo viro Volfgango Meurero, philosophiae professori, amico bene merito Lipsiae in collegio Principis. IX. Sept. 1545.

XIX^b.

Ad hunc locum pertinet epistola ad Meurerum Argentorato XI. Cal. Decembr. a. MDXLV. scripta, quam Schreberus

*) Apogr. Lips. et Schreber. uno tenore sed communi vitio: *et propter sermonis genus intempestivum Explicationem Castigationum addere necesse est seq.*

habuit, nunc amissa vel aliquo loco abscondita, cujus hanc partem ille exscripsit vitae Fabric. p. 71.

„Vocas me ad munus scholasticum: sed labor scholarum qualis sit ipse nosti, et ego, cum lego Borneri epistolam ea de re scriptam ad me anno superiore, quoquo modo illud onus fugere cupio; et ex iis, de quibus tu nunc scribis, dissensionibus ac periculis multis, quae quotidie intueor, plane exhorresco. Neque mihi desunt, quae me alio trahant: nam ut praesentem statum omittam, in quo studiorum meorum gratia acquiesco, hoc ipso mense Fuggerorum nomine in singulos annos I.L. (fort. CL. v. CC) coronati cum victu, libris, vestibus oblati sunt, adjuncto etiam copioso honorario, si triennium cum Hulderico, quem tu Patavii vidisti, vivere velim. Judicium igitur Borneri, res ipsa, spes amplissimi praemii me facile deterrent ab eo munere, ad quod nemo nisi vi coactus aut impulsus inopia accedit. Verum causas tui consilii affers magnas, caritatem patriae et studia juventutis, quae quidem apud bonorum animos non solum istis quae dixi praemiis, verum ipsi etiam vitae sunt anteponenda. Atqui non una ratio est demerendae patriae et consulendi studiis aliorum, quarum etiam aliquot continet Borneri epistola. Quid igitur facies? inquis. Ego, mi Volfgange, laborem scholasticum neque fugio neque detrecto, imo hunc mihi a puero proposui et in eadem nunc quoque maneo sententia, quem etiamsi non uno aut altero etiam anno subeam et intra breve annorum spatium, non puto me idcirco patriae defuturum aut officio meo, et dum illa mihi comparo argumenta (scr. adjumenta), quae ad tale negotium munusque necessario pertinent, et patria mihi ignoscet et amici viri boni atque aequi concedent. Tantum ad epistolae tuae partem praecipuam.“

XX.

S. Cum Gregorio Jordano agas, ut, si illi aliquid offeratur Vuerterorum nomine vel nostro, id ne gravetur Francofurdiae Vuendelino Rihelio typographo ad nundinas vernas reddere: precium vecturae (nam fortasse mittentur libri quidam

ex bibliothecis mihi) illi solvetur Lipsiae a Vuerterianis prae-
fectis, si erunt (l. fuerint) admoniti. Nuper Philippus noster
Selestadium animi caussa morbo liberatus ivit, et convenit ibi
Rhenanum, qui de te, de studiis tuis, de loco ubi esses, de
precio quo doceres, omnia interrogavit, cum singulari praedi-
catione humanitatis tuae. Obsecro te, impetra nobis illam prae-
fationem a D. Bornero, et illi adjunge literas tuas ad Rhena-
num: nam cum primum accepero, ego reddam. Versiculos etiam
Dantis Lipsiae in collegio Paulino, de quibus, ni fallor, in
aliis literis egi, mitte. Scripsi enim ad te subito, et singu-
lis diebus, nam quatuor nuncios (l. nuncius) est hic moratus,
aliquid attexui. Vale igitur, mi Meurere, et me ama, et Ce-
lerem, Naevium, amicos alios saluta. Arg. IX. Cal. Decembr.

G. Fabricius.

*Doctissimo viro D. Volfgango Meurero, philosophiae pro-
fessori, amico suo in Leipzig vff dem Fürsten Collegio. XVIII.
Decembr. 1545.*

XXI.

1546.

S. Verbo nuper mentem vobis meam ostendi, et in re,
ut judicabis, necessaria deesse patriae nolui, quamvis temporis
praeфинiti brevis perquam incommoda est et adversa rationibus
atque consiliis meis: maturabo tamen omnia, quantum possum.
Literis Helmaepontem missis idem suspicor accidisse, quod Hal-
lensis; Dii malefaciant istis improbis. De morte Lutheri gau-
deo te certi aliquid misisse propter voces invidorum. Haec
cum nunciata esset Moguntiae quibusdam pontificiis, se laetari
dixerunt auctorem seditionum sublatum esse, sed alio mortis
genere perire debuisse. Quamquam non tam pontificiis laeti-
tiam adferet quam illis, quos ipse Suermoros nominat, auge-
bit audaciam, quorum magna est in his regionibus atque fini-
timis locis multitudo. In Hetruria his diebus gravis casus ac-
cidit; nosti tu quam plena sit illa factionum, neque Senensium
tibi ignota urbs est, neque civium nobilitas. Illi eadem cum
caeteris peste vexati in Curia ad arma pervenerunt, eoque pro-
gressa gladiatorum crudelitas est, ut viginti septem senatores

mortui inde elati sint. Petentibus civibus praesidium misit dux Florentinus. Tridentinum concilium quendam, ni fallor, Bibliandrum, Tigurinum concionatorem vocavit ad reddendam rationem suorum Commentariorum, quos in Apocalypsin scripsit et in quibus summa orationis vi in pontificios invectus est. De colloquio Ratisbonae mirum hic silentium. De Caesaris adventu murmuratur. Haec habui, quae scriberem subito. Argentorati ad diem XVI. Martii.

Georgius Fabricius.

D. Gerbelius salutem tuam summa laetitia atque humanitate accepit, teque salvere plurimum jubet.

Doctissimo viro Volsfango Meurero Philosophiae professori, amico suo Lipsiae. IX. Aprilis 1546.

XXII.

S. Beichlingo discedens aurigam etiam cum duobus vasis (l. vasis) amandavi, quae velim suscipias et custodias usque ad adventum meum; in Portensi enim collegio certis de caussis aliquot dies commorari constitui. Puto et alterum vas Francofordia isthuc allatum esse, quod Gregorius Jordanus transportandum curavit. Da mihi hanc operam, et ne gravare pecuniam solvere pro vectura nomine meo. Beichlingensi aurigae dimidium thalerum donato, alteri, quod Gregorius aequum censuerit, solvito. D. Badehornum Erfurdiae vidi, a quo adventum meum vobis esse nunciatum arbitrator. Caetera propediem coram agemus. Vale. pridie Non. Maji. Ex Beichlingo Thuringorum, MDXLVI.

*Epistolae
in itinere
scriptae.*

Georgius Fabricius.

Doctissimo viro Volsfango Meurero, amico suo. Uff dem Hersten Collegio zu Leipzig. 8. Maji 1546.

XXIII.

XIX. Maji 1546.

S. Equum habui macrum et malum, quem nunc remitto; precium trium dierum solve nomine meo. Librum ad Jacobum fratrem, quem ligandum curasti, poteris his nundinis mittere;

veniet enim e Porta ad vos vel Kempius vel Hutzlerus. Rogavit me quoque frater ut pileum ipsi mitterem, quo aestate uteretur, id quod tibi committam negotium, ut illi emas septem vel novem grossorum pileolum. Cum Misenam veneris, reddam, quae expones. Agricola nostrum consulem hujus oppidi factum jussu mandatoque Principis, scito, quam rem spero futuram salutarem nobis. Hertelius absens est. Salutant vos Agricola et Fusius. D. Bornero me excusabis, quod insalutato eo discesserim. Vale. Chemnicii.

G. Fabricius.

Doctissimo viro M. Volfgango Meurero, philosophiae professori, amico suo. Uff dem Fürsten-Collegio. XIX. Maji 1546.

XXIV.

1546.
*Epistolae
Misenenses.*

S. Syntaxin meam cum aliquot amicorum literis accepi, et earum, quas Gerbelius misit, exemplar expecto, nam Sturmii misit Ant. Vuerterus. Vuicelebius multis et magnis curis occupatus fuit; ideo te fortasse non convenit. Frater meus hodie a me discessit, brevi Lipsiam venturus, quem tibi commendo, utque has illi reddas, peto*). In schola mea multa reperio emendanda; pueris a Rivio sum publice commendatus, sed a vobis nondum confirmatus. Vellem Joachimum adventare, ut tandem hoc negotium constitueretur: interim tamen puero- rum ingenia et profectum explorabo, et libenter inirem rationem, qua libellos quosdam recentiorum ejicerem et veteres eligerem, quod non frustra tibi dico. Caetera cogitato ipse. Vale. Ex Misena IV. Kl. Iunii MDXLVI.

Georgius Fabricius.

Libellum ad Blasium aperi et lege.

Doctissimo viro Volfgango Meurero philosophiae profes- sori, suo amicissimo. Uff dem Fürsten-Collegio zu Leipzig. 31. May 1546.

*) *In schola mea — tibi dico* v. Schreber. vit. Fabr. p. 120., qui vitiose: *ut libenter* seq.

Ad hunc locum pertinet quae in autographis est epistola sine anni notatione:

XXV.

S. In provincia mea, quam qualem acciperim tu optime nosti, versor cum alacritate. Classes confusas distinxi, dispersas coëgi, lectiones eas institui, quae mihi visae sunt accommodatae ad captum ingeniorum, quae nunc habemus, quod non fecissem, nisi longius extraxissetis adventum vestrum, cupiebam enim auctoritate vestra confirmari institutum meum. Statuta pauca promulgavi, eaque maxime necessaria. caetera relinquam curae ac iudicio vestro, cui libenter subijciam sententiam meam, nihil enim pro vestra prudentia et tanto rerum usu temere statuetis. Quod ad vestitum et mores nobilium quorundam pertinet, ea vix poterunt nisi Principis mandato et auctoritate publica emendari, eaque in re velim graves vos censores esse. Reliqua faciliora erunt, spero enim meliorem vos hujus scholae statum inventuros quam reliquistis. Mitto ad te, quae Argentoratum perferri velim: multum mihi ea in re est, quamobrem diligenter hoc negotium suscipies atque curabis. Si nuncius Vuitebergensis iturus esset idque tu scire posses, rem expeditam haberemus: sin id ex nemine certo cognoscere atque explorare potes, rogandus est Jordanus, ut curet cum certo homine Francofordiam perferendas. ea de caussa literas adjeci ad D. Fichardum Iurecolsultum. Exemplaria Syntaxis cum reliquis libris nondum Francofordia allata esse, sane miror. Quid isthic mihi velim emi, injecta schedula te docebit. Vale et me ama. VII. Idus Iunii. Misenae ex collegio D. Afrae.

Georgius Fabricius.

Doctissimo viro D. Volfgango Meurero, philosophiae professori, amico suo Lipsiae.

XXVI.

S. Cum reversus sit Camerarius, adventum vestrum avidè sane expectamus, idque multis de caussis, quas coram intelligetis. Blasium adme, ut ad me de rebus suis copiose scri-

bat, quem libros et supellectilem suam accepisse jam arbitror, salvam nec ne, scire cupio, praesertim propter literas meas, quas ad amicos Argentoratenses scripsi. Literarum D. Camerarii, quas illi attuli, exempla haberem libenter, si essent tales, ut committi aliis possent. Librum Sleidani dedi Secretario Principis nostri perferendum. Quae tibi nuper scripsi, ut una si venires huc adferres, velim adferas, iisque addas pannum sericum ad alium quoque thoracem Matthiae, et mihi libros Rivii de disciplinis, Terentium, Plauti Comoedias, Ciceronis epistolas, edita per nostrum Papam. Blasio fratri de pecunia, quam misi, eme Topica vel potius τὸ ὄργανον: volo enim ut te audiat. Caetera coram. Vale. die altero Pentecostes. Ex Misena.

Georgius Fabricius.

Doctissimo viro Volfgango Meurero, philosophiae professori, amico suo Lipsiae. XIX. Iunii 1546.

XXVII.

Magnifico et Doctissimo viro D. Leonardo Badehorno, Academiae Lipsiensis Rectori, Domino et Amico suo.

S. In provincia mea quo modo verser, ex literis Meureri nostri intelliges. Caetera mihi satis hic placent, et spero. magis placitura tempore. Consilia tua et de ducenda uxore et de conditione Erfurdiensi ut Tibi salutaria sint, Deum precor. Commerstadium ad comitia Ratisbonam ivisse ferunt; quid de re scholastica tecum locutus sit, velim me reddas certiore. Camerarium abesse tam diu miror. Fasciculum literarum illum ingentem tradi Meurero nostro volo. Fratris mei supellectilem adfert hic auriga, is nunc in Paulino habitat. Te oro, ut illum ames, et quia bonus est, et quia meus. Plura propter occupationes non licuit, alias ero copiosior. Vale. Misena ex collegio D. Aerae. MDXLVI.

Georgius Fabricius.

Liber Wendelino reddendus, de quo ad Meurerum scripsi, si Francofordia mittendus est cum literis ad Doctorem Fichardum, novam in cartam involvendus est.

XXVIII.

S. De iis, qui e ludo profugiunt, quid statutum legibus sit, nosti, et causam, cur cognatus tuus inscientibus omnibus abierit, ex Cunei literis cognosces. Eum tamen revocari Dresda curavi, sed quantum intelligo ex puerorum sermonibus, non valde affectus est erga studia. Quod quamquam ego aut errore aut stultitia potius puerili fieri existimem, tamen propter exemplum non possum omnino illum impunitum dimittere. Quod equidem faciam, ita uti decet atque par est. Sed si fugam ille in animo habet, meo studio retineri non poterit. Haec invitatus ad te, sed tamen scribenda duxi, ne quid contra officium aut amicitiam nostram agerem, utrique enim satisfacere cupio. Plura hoc tempore non potui, causam tibi exponet Cyriacus. D. Camerario salutem plurimam et Blasio fratri. Vale. Misenae ex schola Principis. Die Matthaei Apostoli. MDXLVI.

Georgius Fabricius.

Doctissimo viro Volfango Meurero philosophiae professori amico suo. 1. Octbr. 1546.

XXIX.

S. Cognatum tuum spero in officio futurum, et mihi jam meliorem probat diligentiam. Blasio prospectum esse laetor, te autem oro, ut illi consilio et hortatu tuo non desis; ego enim hic tibi reddam mutuum. Portentum, de quo scripsisti, penè exitum suum habere videtur. Caesar enim refectam a tergo Ecclesiam non respiciens jus suum tradidit et sceptrum submitit Babyloniae, meretrici pessimae, quae tandem ipsum, ut multis antea fecit, perditura est, triumphante Ecclesia cum membris suis. Horreo ego, cum cogito de statu horum temporum, et nescio quomodo majus periculum nostris cervicibus imminens pertimesco. Deus impertiat nobis spiritum veritatis et constantiae, et conservet scholas atque ecclesias ipsi, non hominibus, placentes, ne quando nimis vere in nos dicatur illud vulgo usurpatum: Ein Meißner, ein Weißner. Nosti quid dicam, neque ignota est tibi generosa Achillis vox apud Homerum. De amici nostri scriptis ita judicabamus, esse optima,

quia Aristotelica, deinde modum in doctrina, copiam in verbis, delectum in exemplis, in universa tractatione ordinem atque methodum laudabamus. Quod pertinet ad illud, quod in extremo literarum tuarum addis, rogo vos, teque inprimis, qui me magis amas et caeteris plus novisti, ne mihi authores sitis abjiciendi aut deserendi illud munus, ad quod Deus me vocavit, neve accersatis in ea loca, in quibus certe non annum viverem, ita plane abhorret a sententia vestra animus meus. Tibi hoc scribo ut amico, teque per Deum oro, ac studia nostra, ut hoc credas ita esse. Vale, et me si amas, ut amas, non (l. ne) coge nova consilia inire. Blasio iratus fui, cum literas ejus legi, quae mihi etiam sudorem elicuerunt et ruperunt somnum. Caussam ignoro, nisi quod ita factum est. Denuo vale. Salutant te Rivius et Superattendens, qui nobis assident in examine. In cujus mentionem quoniam simul veni, scito, pueros quosdam non admodum honeste se dedisse, quos assignare volo et parentibus ipsorum scribere, ut, nisi diligentia emendent et studio corrigant superioris temporis negligentiam, ex ludo ejiciantur. Misenae VIII. Kal. Novembr. MDXLVI.

Georgius Fabricius.

Singulari virtute et doctrina praedito viro Vuolfgango Meurero, amico suo.

XXX.

1547.

S. Si salvus domum rediisti, gaudeo vehementer, magis etiam gravisurus, si ex te intellexero, quae spes pacis et tranquillitatis sit illic: nos de deditione Vuitebergae hic audivimus, et hac ipsa hora scripsit de eadem ad me Kentmannus, ut jam credam, veros fuisse rumores, qui hic jactati sunt. Ioannes Reuschius eodem penè tempore, quo currum adscenderas, mihi obtulit hoc carmen in tui gratiam scriptum, quod ut ab homine tui studiosissimo et optimo viro libenter suscipias te rogo. Non potuit declarare aliter benevolentiam erga te suam, quamquam ego scio, ea te munera, quae a cultis ingeniis profisciscuntur, amare et cara habere. Rogavit ut ego ad te scriberem et se quoque commendarem, quod equidem vellem sic facere posse,

ut meretur illius in nos animus. Sed quod ego exequi verbis non potui, ut ipse effectum esse re intelligat, tuis illi literis ostende. Vocabar cum haec scriberem ad hospitem Sorgenfrei a quodam ex aula episcopi, nosti cujus: qui sermones futuri sint, aut quo vultu me inspecturi sint, ego nescio. Sed nosti quam non sim meus, quoties *μεσοῶν* incipio, et illi Protei sunt ac Vertumni et exercitati in tractandis omnium animis. Tu, mi Meurere, vale et me ama. Salutat te compater tuus, item hospes. Misenae XIV. Maj.

Georgius tuus.

Doctissimo viro M. Volfgango Meurero in majori collegio Lipsiae, amico suo carissimo. XVI. Maj. 1547.

XXXI.

S. Blasius ubi nunc sit, aut quid agat, ignoro: video iter illi quodammodo interclusum ad puerorum parentes, quia et Hallae Imperator est, et Princeps Augustus Mansfeldam obsidere dicitur. Quare a te certius aliquid expecto. Veneramus in spem pacis longinquae, sed terrent tamen adhuc rumores de Boëmis et Landgravio. Tu si quid habes, quae te habere arbitrator propter exercituum vicinitatem, quaeso ad me perscribas. D. Zieglero (l. Zieglerus) quod mihi munus injunxit, id sum executus. De Melanthonē Lipsiam vocando obscuri sermones sunt. Utinam impetrari ab eo posset. Sed hoc gubernabit Deus, cui vir ille carus est, qui providebit illi de hospitio atque ecclesia, in qua quod reliquum est curriculi conficiat. De Viti atque Osiandri morte scis quid nobis fuerit nunciatum, cui rumori an recte fides data sit, scire ex te cupio, quem hoc minime jam fugiet. Videbitur tibi jam schola vestra solitudo esse, maxime propter Borneri absentiam et moram Camerarii, qui quando ad vos rediturus sit, ex nemine adhuc intelligere potui, nisi quod D. Zieglerus significavit. Apud nos in mediocri statu adhuc sunt omnia. Vale. Misenae Idibus Iuni MDXLVII.

Georgius tuus.

Oro ut mihi et Hiobo mittas bina coria Cordubana, quae aequent amplitudinem et magnitudinem et latitudinem nostrorum

pectorum atque tergorum: quodsi mensuram non habes, pete de corpore tuo, neque enim nos Pygmaei sumus. Hic nuncius quia redditurus est, secum adferre poterit. De precio scribe, id tibi reddent procuratores nostri aut nos ipsi.

Doctissimo viro D. Volfgango Meurero, philosophiae professori, amico suo inprimis caro. In majore Collegio. XV. Iunii 1547.

XXXII.

S. Cunelius XII. Cal. Iulii hic fuit et a me petiit studii et diligentiae suae testimonium, quod ei negare nolui, statuit enim, ut ipse ajebat, de patris et amicorum consilio Dantiscum proficisci ad persequenda ea studia, quae hic incohavit. Probavi in eo voluntatem ejus et non sine amica admonitione dimisi; accusavi autem, quod te insciente id consilii cepisset. Judicat ipse, quantum intelligere ex aliis potui, hanc scholam institutam esse pro (?) pueris, et vitam hanc ut ipse appellat monasticam non convenire adultioribus. Vides quam molesta sit disciplina adolescentiae. Opto illi ut meliores patronos et praeceptores nanciscatur apud externos. De Helia nepote altero interrogavi, sed ita mihi responsum a Cunelio est, quasi et ille reverti non magnopere cupiat. Pueri quidem excusari possunt propter stultitiam: sed nescio quid parentibus in mentem veniat, quod suorum utilitates et ornamenta tam parvi curent. Quamobrem tu pro tua apud illos auctoritate agere de commodis tuorum poteris. Dederam Cunelio XVIII. grossos mutuos, quos ab illius parente exige: ipse jubebat me a te petere, cujus ego miratus sum impudentiam. Quid enim magis impudens, quam exigere ab eo beneficium, cujus ne consilio quidem in re necessaria utaris? Nepotem alterum tu nosti, elucebat ex puero alacritas. Superioribus literis tuis iterum a me petis Itinera, sed aequo animo moram ut feras te rogo, mittam enim cum usura. Nam adjungam sextum, quod deducam Neapoli per Bajanium sinum et ea loca, quae ibi cognovimus, Capuam et Cajetam, inde commodo aliquo saltu perveniam Ostiam, Praeneste, Tusculum, Tybur, postremo Romam. Nam quae cognitione

digna maxime sunt, iis fere locis cognovimus, ut nosti. Ita enim satisfactum erit et ipsi profectioni nostrae et etiam cupiditati meae. Audio circumferri quasdam epistolas Crucigeri, Philippi, Pomerani, multum consolationis habentes; earum aliquas si miseris, rem mihi pergratam feceris. Bellum aut proelium potius ad Mulbergum diligenter scriptum et isthic impressum narravit mihi Maternus Badehorn, cupio videre et legere. Quamobrem quicquid istarum rerum habes aut invenis, nobiscum communica. Expeditio in Boëmos magnis viribus suscipitur. exitum brevi, ut spero, cognoscemus. Caesaris victorias videtur nemo impedire posse, quae ut salutares tandem sint et Ecclesiae et politiis faxit Deus: nos certe spei aliquid de eo concepimus, quando tanta clementia utitur erga Vuittenbergenses. Blasius liberari cupit et me literis urget, cujus etiam binas hodie accepi praeter eas quas tu misisti. Vellem ejus literas Vuicelebio redditas, facile enim consilium esset initurus ille de liberatione suorum. Vale meque ama. Misenae V. Cal. Iunii, subito. MDXLVII.

Tuus Fabricius.

Clarissimo viro, doctrina et integritate praestanti D. Wolfgango Meurero philosophiae professori, suo amico praecipuo. V. Iulii 1547.

XXXIII.

S. Blasius me literis, precibus, convitiis pene flagitat ut eum liberem, sed ego quid possum aliud quam quod facio? Vult hinc nuncium mitti, sed cum Lipsiae non inventiantur, facile me excusatum habebit. Quod si priores ejus missae in Turingiam non sunt, mitte meas, nuncio precium ipsi persolvent aut curatores puerorum vel tutores, aut parentes. Oro etiam te ut eum moneas atque horteris, ut forti sit animo. Nam non erunt tam ἄστρογοι, ut illum et suos relinquant amici, neque tam afflictæ eorum fortunæ sunt, ut nequeant tantillum nummorum persolvere. D. Badehorno plurimam ex me salutem dicito: quodsi ipsi placet, pecuniam quam Blasio mutuo dedit, hic parentibus ipsius numerabo; nihil enim audeo

nunciis jam committere. Vale, et si quid habes solatii de pace stabilienda pia et Christiana, mihi imperti. Papistae nostri valde feroces sunt et insolentes. Pr. Petri et Pauli, Misnae, vellem Romae essem, ut audirem et viderem per hanc noctem potentiam Petri. 1547. subito.

Georgius.

Doctissimo et optimo viro D. Volfgango Meurero, graecarum literarum et philosophiae professori, amico suo. V. Iulii 1547.

XXXIV.

S. Si quem ex tuis vis Cunelio succedere, tibi author sum ut jam agas caussam tuam. Intelligo enim brevi plures huc pueros missos (l. missum) iri, et ego jussus sum nomina eorum qui nunc hic adsunt assignare et Oeconoמו tradere. Iter Romanum II. caeteris multo copiosius ad te mitto, quod si tibi probabitur, non me lusisse operam judicabo: mihi sane plus aliis placet. Vellem Papae vestro otium esse aut etiam voluntatem ea transcribendi, neque enim inutilis labor est, neque in his legendis nulla cum delectatione versabuntur studiosi. De qua tamen re expecto iudicium tuum, idque sequar. Reuschius amicus noster Odas composuit omnes, quae mihi valde suaves et accommodatae ad rem ipsam videntur, in altera enim Musica excellit, in altera versatus est et iudicare aliquid potest. Literarum Camerarii exemplar, nisi molestum est, ad me mitte: gaudeo illi bene esse, doleo non esse Lipsiae. ejus enim sapientia jam vobis esset futura usui. De Blasio jam sollicitus sum, an sit retenturus suos pueros: quod si fiet, ut spero, te rogo ut illum, quod facis, ames et juves auctoritate tua. De cornibus quod scribis, risi, et imminet nobis ab iis periculum, sed utendum erit praesidio veri Monocerotis, quod e coelo contra diabolum et ejus omnia membra misit qui appellatur Mirabilis et Deus fortis et pater futuri seculi. Ornatissimum Dominum D. Zieglerum saluta meo nomine et vale. Misnae III. Idus Iulii. MDXLVII.

Georgius tuus.

Ad D. Camerarium si scribes, hoc inprimis adde, nos Dei beneficio atque auxilio cum schola nostra mirabiliter fuisse defensos. Peto etiam ab illo, si quid habeat de Sturmio aut Gerbelio, id nobis ut significet. Mihi otium scribendi plura non fuit. M. Esromum quoque saluta, si isthic adest.

Insigni probitate et doctrina viro Volsango Meurero, philosophiae professori doctissimo, amico singulari. 13. Iulii 1547.

XXXV.

S. Cunelius ad te venit, adhibiturus nunc in consilium, posteaquam sui illum, credo, poenituit. Testimonium, quod a me petiit, vult jam obsignatum habere, et scribit de eo prolixas literas pater ejus. Mallem me non dedisse, quoniam ipse Principis beneficio usus nunc illud quasi effundit, et dicitur D. Commerstadius aegerrime ferre hanc puerorum nostrorum ingratitudinem, neque ignoras tu, quae nostra et Camerarii querela ea de re fuerit. Puto autem edicto cautum iri, idque utile esset, ne quis pater saepe a filio persuasus et Principis gratiam excuteret et stultae cupiditati obsequeretur. Aut enim operam suam nostris Ecclesiis et Reipublicae impendere, qui tali beneficio aucti sunt, debent, aut si nolunt, locum dare gratioribus. — Locus Ciceronis mihi videtur bonum et elegantem sensum habere. Dicit enim, se carere jucunditate sui Attici et Quinti candore, Metellum autem, quocum versetur, litus esse et aërem, nihil habere consolationis ad levandas molestias, aut si quid habeat, id non esse sapiens; quamobrem, etiamsi Metellum secum habeat suique amantissimum, tamen sibi videri quasi in solitudine sit (l. esse) propter amici mores minime suaves aut commodos. Quid autem dici potuit expressius quam litus, aër, solitudo? Si quid aliud in his verbis vides, mihi quaeso significa. — Scire cupio, num Francofordiam ituri sint Lipsienses bibliopolae; de eo si quid certi crit, potes me admonere. Blasii negotium quo modo confectum sit, ipse scribet. Iter meum novum brevi ad te mittam; aut enim ego fallor, aut certe erit caeteris omnibus antefendum. Et inprimis illud mihi placuit, quod montes, in quo (l. quibus) sulfuraria, ut

scis, erat, inveni dictos Leucogaeos: vicinum antrum pestiferum spiritum exhalans Charoneas scrobes: binas thermas inde non procul a nobis visas Oraxi fontes: locum ubi mons novus Puteolanus et campos adjacentes Phlegraeum campum et forum Vulcanium. De thermis Bajanis Galenum scribere aliquid et ad eas visendas profectum esse, si verum est, librum et locum mihi ostende. Dicabitur illud nostro Badehorno certam ob causam, quam postea intelliges. Vale meque tuum esse tibi persuade et crede: nescio enim quare tu ad salutem adjeceris illud: si quidem nos tui sumus. D. Heuslerum et Celerem saluta. De Camerarii adventu quid sperandum sit, tu scire potes. Denuo vale. Misenae, die Kiliani, quo Vuirceburgensis pontifex Baccho facit, id quale sit, ex Francis quaere. MDXLVII.

Georgius Fabricius.

Doctissimo atque integerrimo viro D. Volfgango Meurero, philosophiae professori egregio, amico suo praecipuo. In Collegio majori Lipsiae. 14. Iulii 1547.

XXXVI.

S. Literas tuas accepi, quas maluissem esse hoc tempore longiores. Quod scribis de mutando titulo in Hodoeporico, quod inscripsi Iter Romanum II., non intelligo, quid tu velis: quamobrem id ipsum scribe apertius. Ego antea appellaveram Iter Tyburtinum, sed hoc nunc illi praetuli. Quae censuisti mutanda de te, ea mutabo. Velim cum hoc puero, auditore nostro, mittas opera Pontani poetica, vel empta vel ab amico mutua. Si ibidem Volaterrani extant venalia, ea ipsa adjuuge. Currum habet ejus cognatus, commode omnia mitti possunt, etiam perae coriaceae, quas Blasio misi; quem cum maxime cuperem scribere, nihil ab eo plane accepi. Quod si absens est cum suis nobilibus, abs te peto ut quam spem de studiis suis habeat, eam mihi significes. Gratius mihi nihil facere potes. Vale. Kentmannus ante triduum apud me fuit, is constituit cum M. Christophoro proficisci in Italiam, cujus

voluntatem ea in re vehementer laudo, et opto illis bene cedere. Misenaë, XXIII. die Iulii MDXLVII.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo ac doctissimo viro D. Volfgango Meurero, philosophiæ professori eximio, suo amico præcipuo. XXV. Iulii 1547.

XXXVII.

S. Quam vellem me iis sermonibus interfuisse, quos tu cum Phil. Melanthane habuisti: videntur enim mihi et scripta et facta illius viri plane esse divina, et quam mihi misisti orationem exulantis Ecclesiæ, legi cum voluptate, et auctor se patefacit elatione illâ animi, quæ non potest nisi ab agitatione divini spiritus proficisci. Credo autem tales preces profuturas Ecclesiæ, quæ pro honore divini nominis et Ecclesiæ filii Dei fiunt. D. (Ducem) Anhaltinum laudo et amo, quia colit et audit eos, qui religioni favent, et eam profitentur, et pro ea certant: reliqui valeant, qui præter togas et vestitum nihil habent Episcoporum. Ego moneor atque etiam urgeor ab amico, ut scribam ad eum, quem meis versibus alienatum invidi, ut scis, palam jactabant: sed cur ego me excuseam, cum ipsi auctorem sciant et me mendaciis onerarint, quamquam ebrius ille Petrus etiam ex stilo cognovit Fabricium, credo quia illi Bacchus propriam eripuerat et suam mentem inspirarat: nosti enim, hunc quoque deum esse poeticum. Sed valeat pondus illud terræ et venter papisticus. Recte coniecisti de illo, cui Blasius literas ad me commisit, nam ego nullas accepi, et doleo Argentoratenses amissas esse. Scripsit ad me perhumanas Ioannes frater tuus, quas mihi Cunelius reddidit. Pontanum cum primum licuerit remittam. philosophica opera mihi placent, reliqua nugæ maximæ, et quaerebam ego Bajarum descriptionem, non papillas Hermiones aut Lucillæ. Quod scribis *περὶ τοῦ κιθαρίστου*, gaudeo ea te mente esse, et Deum precor, ut det tibi citharistram cum aureo barbitō. Hodoeporica ad te mittam, ubi descripsero, quod brevi fiet. velim autem ne te moveant illi, de quibus nuper conquestus es apud me, dum-

modo nostrae equitationes minime equestres sint illustriores quam maxima ipsorum sapientia. Haec ad tuas respondere volui. Reliquum est quod a te petam, idque quoniam in optima causa facio, tu etiam favebis studio nostro. Ioannem Petrejum, virum doctum et divinis in scripturis exercitatum, ac recte sentientem et magni animi hominem, novisti. is locum, in quo nunc est, mutare cupit, et habet causas honestas, valetudinem uxoris, quae labores et opus rusticum ferre non potest, cupit etiam studia sua colere et linguae sanctae operam dare, neque locum suis rebus aptiorem invenire se posse existimat vestra Lipsia. quamobrem si qua conditio apud vos vacaret et illi munus ecclesiasticum committi posset, rogare te iussit ut illius causam adjuvares. Ego non interponam meas preces; scio enim nutus nostros valere, quae est humanitas et amor in me tuus, sed puto ipsum talem esse et moribus et doctrina, ut dignus sit optimi cujusque gratia. Scripsi eadem de re ad clarissimum virum D. Zieglerum, non illius jussu aut voluntate, sed iudicio meo, neque indigne feret, quod ausus sim. Puerum, quem missuri sunt cives tui, vellem quamprimum adesse, quamobrem mone amicos tuos ut eum mittant. Vale et hunc nuncium non (l. ne) dimitte vacuum, quem communibus impensis ego et Hiobus misimus. Misenae III. Cal. Aug. MDXLVII.

Georgius Fabricius.

Bina exemplaria Sophoclis cum commentariis graecis eme, et adde Lipsiam obsessam, nisi speras melius exemplum excusum iri. Nuncius hic secum adferat, si fieri potest.

Doctissimo viro atque egregia virtute praedito, D. Volfango Meurero, philosophiae apud Lipsienses professori, amico suo praecipuo. Ultima Iulii 1547.

XXXVIII.

S. Itinera mea ad te mitto, Volfange, multis in locis aucta, in quibus tibi licebit emendare, quae voles. Sustuli etiam versus quos voluisti duobus in locis. Si Papa excudet, age cum eo ut caractere bono utatur: ea autem quae ad marginem adjiciuntur locorum nomina, non videntur omittenda,

quod interdum ὑποτακτικῶς, interdum περιφραστικῶς sint (l. sunt) expressa, in quibus etiam curabit ut rebus respondeant, inprimis autem ut Italicae appellationes recte scribantur in fine. Iter hac fecit Philippus Melanthon, cum quo varios et valde amicos sermones habuimus: quibus ille versibus hoc oppidum ac totam potius gentem ornarit, leges ad finem Itinerum. quo modo nos eum acceperimus, pete a Blasio. De schola Vuittenbergensi instauranda optimam se spem habere affirmavit, de qua Calcariae D. Commerstadium convenit. Ajunt novam scholam institutum iri Grimmae, sicuti nostra est, de qua res si quid habes certi, significa. Audivi, magno sumptu fieri tumultum Bornero, qui certe omnis honoris laude dignissimus est, cum propter eruditionem, tum propter multa in Academiam vestram prope divina merita. Intellexi etiam, D. Commerstadium aegre tulisse, quod sex ni fallor thaleri tantum Notario sint dati. Quamobrem si tu interfuisti illi negotio aut etiam intereris, cura ut haeredibus potius consulatur quam patronis, quamquam justo precio hi carere non debent. Haec ut amice scribo, ita amice intelliges. Est mihi reliqua certa summula pecuniae apud Blasium, eam pete ab ipso, quasi in certos usus collaturus. vereor enim, ne si apud se retineat diutius, eadem imprudentia effundat, qua fecerat Vuittenbergae, nosti enim illus aetatis mores. Si quid apud vos quod scire me (a) intersit, oro te ne me celes. Comitia Augustana differri rumor est. Suevicis urbibus sunt imposita praesidia, eaque in sex rursus menses conducta. Salutem D. Zieglero. Ad nuptias D. Badehorni venire non potero. mittam illi aliquam ex Musis, si id non licuerit. Vale. XI. Kl. Sept. Anno MDXLVII.

Georgius Fabricius.

Egregia virtute ac eruditione praedito D. Volfango Meurerō, philosophiae professori doctissimo, amico suo praecipuo.
XXV. Augusti 1547.

XXXIX.

S. Thomas Fritz, humanus et eruditus adolescens, rem a me valde honestam petiit, in qua studium illi meum non

potui negare. Is fratris sui consilio et aliorum amicorum voluntate proximo vestro examine constituit Magister fieri, eumque honoris gradum se putat facilius adepturum, si aliqua etiam in parte tua accedat auctoritas. Multum spei habet in tua humanitate positum, et me confidit impetraturum, ut se ames atque adjuves. quando vero tui notitiam nullam habet, a me petiit affinis ipsius Ioannes Reuschius, ut ad eam meis literis aditum illi patefacerem. Quod quidem non invitatus feci, et ipsius adolescentis pudore atque modestia et amici rogatu impulsus. Te igitur oro etiam atque etiam, ut illi ostendas, quantum res et dignitas tua feret, te nihil diligentius aut libentius facere, quam studiosos homines promovere; idque quoniam tua sponte te solere facere certo scio, non ero longior. Et ipse promittit, et Reuschius spondet, gratum esse futurum atque memorem. Scripsi ad te nuper cum Kentmanno, ad quas expecto responsum. Ac inprimis de illo viro, de quo iudicium exquirebas meum, scire cupio quid actum sit, an sit mansurus Cyriacus, an successurus illi alter. Certior eram factus de adventu vestro, et ex quorundam sermone sperabam, sed puto te negotiis impeditum fuisse, quo minus sis ingressus hoc iter. Hac ipsa hora literas a D. Philippo accepi valde amicas. Vale et rescribe quaeso. Blasium saluta, cui non licuit scribere. Misenae V. Cal. Sept. MDXLVII.

Georgius Fabricius.

Clarissimo viro, egregia doctrina et virtute praestanti Volfango Meurero, philosophiae professori in Academia Lipsica, amico suo praecipuo. Ultima Augusti 1547.

XL.

S. Hominem illum, vel monstrum potius hominis, quod depingis in epistola tua, quodnam sit, nondum intelligo, et te oro, ut nomen illius significes: nam ne in suspicionem quidem ullius venire possum, quae me in conjecturam ducat aut divinationem tam belli hominis. Si retinetis nostrum amicum, gaudebo vehementer. *συμπαθῶ σοι* propter occasionem impeditam, quam speraveras atque optaveras. Binas Philippi ad me

tibi mitto, et adjunxi etiam illas, quas ad compatrem tuum scripsit valde, ut vides, suaves et amicas literas. Coram visus est me invitare, ut aliquando Vuitenbergam instaurata schola me conferrem. Quae quidem schola quamdiu instaurata non est, non videor mihi posse sperare aliquam dignitatem literarum et doctrinae constantiam. Et saepissime mecum tacite doleo, quod cogatur in otio vivere homo minime otiosus Philippus. Verendum enim est, ne illum et laboribus debilitatum et curis fractum eo tempore amittamus, quo maxime doctrina et integritate ejus atque modestia nobis utendum esset. Nam ad barbariem et corruptelam et insaniam videntur quasi inclinare haec tempora. Literas autem Philippi communicabis cum quibus tu voles, ut cum D. Zieglero et bonis. Vellem Papam usum meo consilio in Itineribus; nam et Chr. Pannonii et Georgii Sabini eadem forma, qua ego volui, sunt impressa, item Propempticon AemylII, et aliorum, quae conjungi potuissent. Sed utatur, si vult, judicio suo. Ad Vuerteros scripsi dolore commotus, quia eis aliquid de tumultibus patriae communis addebam, et agebat animum meum tacita quaedam molestia inter scribendum, quae utinam vana sit, nam rumor videtur eam comprobare, quem Blasius de morte Philippi ad me scripsit. Qui si verus est, doleo sane, nos et studiosissimo et optimo et modestissimo adoléscente orbatos esse, in cujus ego ingenio, virtute, ac moribus maximam spem otii mei aliquando collocaveram. Sed quoniam, ut Plato inquit, οὐδὲν μάταιον τῆς ψυχῆς μάντευμα, non possum sperare, sed timere cogor, quod sciam, quam afflicta semper valetudine fuerit. Sed a Volfgango literas expecto. De schola Grimmensi non scripsi ad te frustra, scio id tractari negotium et serio. Deus det felicem successum. Si quid habes de comitiis Augustanis, nobiscum quaeso communica. Quodsi per occupationes tibi scribere non licet, da id muneris Blasio. Salutant te compater et hospes tuus. Vale. Ex Misna Idib. Sept. MDXLVII.

Georgius Fabricius.

Clarissimo doctrina et virtute viro D. Volfgango Meurero, in Academia Lipsiensi philosophiae et graecarum literarum professori, amico suo praecipuo. XVI. Septembr. 1547.

XLI.

S. Hunc adolescentem, Val. Scribae adfinem, literarum studiosum D. Zieglero commendavi, quem ut juves etiam auctoritate tua, te vehementer rogo: quodsi quid obstat quo minus juvari possit, dimitte eum placatum oratione tua. Si Cameraarius advenit, fac me de eo certiore. Si novi Pontificis Leonis XI. nomen verum scis, perscribe, fortasse notus nobis erit. Gaurico praemium esset dandum pro vaticinio. Quid proficit igitur paucorum annorum dignitas, quid calliditas ingenii, quid gentis et suorum ad maximos honores evectio? Jacet nunc pater ille sanctus, *καλὸν θηρίον* verae ecclesiae. Silesii quam graviter ob rebellionem puniti sint, isthic notum esse arbitror. Scripsi cum hoc adolescente, ut tuas quoque illi, si per otium liceret, ad nos traderes. Vale. Misnae XIX. Sept.

Georgius Fabricius.

Clarissimo et doctiss. viro D. Volfgango Meurerero philosophiae et graecarum literarum professori, amico suo praecipuo.
22. Sept. 1547.

XLII.

S. Insalutatus a te discessi, incitus hospes, quod ideo factum fuit, quoniam me comites mei reliquerant, quos cupiebam assequi, id quod intra dimidium milliare factum est, quamobrem ignosce rusticitati meae. Ioannes Petrejus ad vos veniet, qui si spem consequetur aliquam, et voce implebit aures vulgi, atque eruditione satisfaciet peritis iudicibus, fortasse apud vos manebit: idque ego cuperem, maxime tui caussa, ut haberes quicum amice et libere loquereris: sin minus, conferret se Vuitebergam, modo Philippus ibi sit. Te autem rogo, ut scribas, num is Lipsiae fuerit, et qua spe abierit, et quid de Vuiteberga futurum sit. De comitiis omnes mirantur tantum silentium. Quod si per negotia tibi scribere non licet, Blasium excita. Munuscula distribui mulierculis, quam bene nobis illa emere in mentem venit? Cum Badehorno coeperam loqui de re tua, sed importuna festinatio meorum comitum omnia impediit, et ego cum stomacho plane discedebam. De monacho

Colmariensi si rumor certus fuit, tribus verbis scribe, et vale. Laurentius noster aegrotus te salutatur, et si quid habes contra tumores pedum, adijunge: meliuscule habet, sed exhaustus propemodum est viribus. Misenae III. Id. Octobr.

Georgius Fabricius.

D. Zieglerum constitueram ante convenire iterum quam abirem. quid mane nos impedierit, tu nosti, postea comites me conturbaverunt. Potest idem nunc agere Petrejus, quem tibi etiam commendo ea commendatione, quae debetur viro optimo et literato.

Egregia virtute et doctrina praedito viro D. Volfgango Meurero, philosophiae et graecarum literarum professori, amico suo praecipuo. In collegio majore. XIV. Octobr. 1547.

XLIII.

S. Rectorem te esse factum gaudeo, optoque ut tua administratio salutaris sit reipublicae, de quo equidem minime dubito: nam ut scio te procul remotum ab omni ambitione, ita honorem praesertim usitatum recte non potuisti recusare, praesertim cum egeat virtute et prudentia talis viri, qualem te semper judicavi, vestra Academia. De Philippo quae scribis, jucundissima mihi fuerunt. Attulit mihi ab eo literas Petrejus suaves et humanas: scis enim ipsas Gratias et quam Ennius suadae medullam appellavit residere in moribus atque ore ipsius. Earum exemplar, ne te suspensum tenerem desiderio, adjunxi. Vides quid sentiat de futuri anni malis: respondi audacter, videtur enim plusculum tribuere illis divinationibus. Vox illa prophetae est: Nolite metuere ab astris, et praesertim Christianis scripta: nam qui precibus a Deo impetravit, ut sisteret cursum sol, qui umbram precibus in horologio reduxit, solatio nobis sunt (?), idem nos efficere posse invocatione et fide in filium Dei. Impiis ista metuenda sunt et contemptoribus verbi Dei, Ecclesiae non speramus noecitura. Sed caveant sibi Tridentini, qui suis sententiis damnant et filium Dei, et ejus doctrinam apertis scriptis per summam blasphemiam irrident. De monacho non est fabula, sed pontificii dicunt eum Ulmae toxi-

cum bibisse; etiam alter Carmelita, adversarius Philippi, gravissimo morbo laborat. id ego ex ipsorum scriptis cognovi. Laurentius noster vitam hanc caducam cum altera, mortalem cum coelesti commutavit IX. Cal. Novembr. placidissime obdormiscens et uno suspirio vitam exhalans. Puto successurum in ejus locum compatrem meum Ioann. Reuschium, idque optarem cum propter mores ejus, tum etiam propter ingenium, quod valde amo. Blasium nescio quam contentionem suscepisse intelligo, rogo eum objurges, eique auctor sis, ut potius modestiae studeat et humanitati quam feritati et barbariei. Hoc etiam ei lege, et vale. Commensales tuos omnes ex me humanissime saluta. Misnae Cal. Novembr. anno MDXLVII.

Georgius Fabricius.

Magnifico et doctissimo viro D. Volfgango Meurero, Rectori Academiae Lipsiensis, amico suo colendo. VII. Novembr. 1547.

XLIV.

S. Egidio discedente peregre abfui, quem sine literis non dimissem, non quod haberem quod scriberem, sed ut morem pristinum conservarem. De pecunia tamen, quam Vuicelebius misit, numera illi XXX aureos, nostrates scilicet. binos thaleros praesens a me accepit, ad hos reliquam summam adjice. De reliqua pecunia quid agendum sit, ex ipsius literis si cognovero, scies: neque enim molestum tibi esse puto, quod apud te reponatur, donec certiora intelligamus. Egidium adhortatione non puto egere, ut sit in suo munere diligens et illam pecuniam honeste collocet: sed tamen adde aliquid hortationis, quod pro tua auctoritate nunc potes, et vide etiam, ut id saepius facias et eum de studiis interroges. Blasius etiam atque etiam consilium a me petiit de gradu suscipiendo, quod quidem in re quod tu illi suaseris, id ratum habebo et illi etiam existimabo commodum. Plura jam non licuit. Blasio dic, ut M. Sebastiano scribat, me pecuniam a Carlevicio tantum accepisse. Spore et Vuarte literis iterum admonendi sunt, ut meminerint sui officii, atque ut id faciant, quod caeteri fece-

runt nobiles, quo uno argumento maxime valebit (is) apud barbaros Centaurorum animos. Vale. Misenae.

G. Fabricius.

Magnifico viro D. Volfgango Meurero, Academiae Lipsiensis Rectori, suo amico praecipuo. 22. Novembr. 1547.

• XLV.

S. Tuas accepi brevissimas, neque dubito, quin sis futurus author et Egidio, ut otium bene collocet, et fratri meo, ut suo officio diligenter fungatur. de hujus enim studiis atque vita ut fratris non possum non esse sollicitus, et alterius commoda ut studiosi et mihi noti adolescentis libenter procuro. Sed interdum vereor, cum propter aetatem, quae multos errores habet, tum propter hoc seculum, quo ego nullum puto fuisse depravatus et magis contentiosum contra omnem virtutem atque honestatem, quod etiam te in tuo munere jam necesse erit experiri. Miserunt ad me nonnulla Vuerteri, quae ego penè conviciis flagitavi a Blasio ut mihi mittat, sed frustra: te oro, ut ad te omnia recipias et cum certo homine cures perferenda. Nihil habeo, mi Volfgange, quod non tecum esse velim commune, quemadmodum antehac inter nos omnia fuerunt, vita, studia, consilia, cogitationes, et tacitae curae. sed minime mihi gratum fecit frater, qui me inscio resignavit et tam diu retinet. Cum Sturmii igitur dictatis jube eum conjungere quae ex Plauto habet a Philippo Vuertero scripta. si neminem habes, mitte mihi cum proprio nuncio finitis Idivbus. Erit mihi tuum studium gratum, et ego, quoniam publice occupatus es, minus ero intemperans in te onerando. D. Doctori Badehorno salutem nuncia. epithalamia nondum legi diligenter, quoniam totus fui et adhuc sum in libris Agricolae, quorum lectio vix credis quam mihi sit jucunda. Is jam inchoavit libros de restitutione ponderum et mensurarum. Utinam in religione nobiscum sentiret, et ex subterraneis extolleret mentem ad contemplationem auctoris earum rerum et meriti Domini nostri Iesu Christi, qui ut illum spiritu suo regat et papisticas ac

perniciosas opiniones evellat, ex animo precor. Longiores scripsi quàm institueram. Vale. VI. Cal. Decembr. MDXLVII.

G. Fabricius.

Magnifico viro D. Volfgango Meurero, Academiae Lipsiae Rectori et Philosophiae professori doctissimo, amico suo praecipuo. 28. Novembr. 1547.

XLVI.

S. Quamvis raras tuas accipiam, tamen aequo animo fero, quoniam ipse hanc legem scripsi, quod interpellari te nolim, dum in munere pleno molestiarum versaris. Sed ut rarae sint tuae, cura tamen pro vetere amore ac benevolentia, ne plane sint nullae. Proximas meas te accepisse confido, ad quas ut respondeas velim. Scripsissem nunc ad Vuicelebium, sed nescio an propter festinationem Egidii sit futurum otium: quod si erit, eas adjungam, ut, de pecunia quid sit agendum, plane intelligam. Patrocinio tuo me tueberis apud D. Badehornum, quod epithalamion jam non remiserim; accipiet enim id auctius. Scripsi ad eum et ad ejus ~~ἡ~~³ ~~ῥος~~ sermonem accommodavi meum. Regem Galliae venisse Augustam cum matre ad salutandum Imperatorem cognovi. Philippum etiam Hispanorum regem cum XX. M. militum adventurum ineunte vere, non obscurus rumor est. Sed eae copiae an praesidio futurae sint Germaniae contra Turcam, an quid acturae, quis novit? Oramus Deum, ut vertat studia principum ad concordiam. Agricolae libros perlegi, qui mihi placent multis de caussis; nisi molestum est, perscribe tuum de iis ad me judicium, si modo otii quid habes. Fratrem saluta et ad scribendum hortare. Vale. Misnae VII. Id. Decembr.

G. Fabricius.

Magnifico et doctissimo viro Volfgango Meurero, Academiae Lipsiensis Rectori, amico suo praecipuo. XII. Decembr. 1547.

XLVII.

S. Andreas Lucas civis tuus, de facie mihi ignotus, sed non incognitus propter integritatem et diligentiam, quam in eo praedicant quos audiavi omnes, nunc ad te venit. Is Lumbicensem pueritiam, ut scis, sextum jam annum instituit, sed eam gratiam refert ab iis, quibus de optime meritis, quam nunc fere referunt omnes, qui in illo molestissimo ac penè sordido labore versantur; qua re primum motus, deinde jactura temporis, quam in suis studiis facit, cupit locum mutare, egitque per D. Blesanum cum iis, per quos promoveri potuisset, sed nihil responsi accepit. sed hoc ego fieri existimo tum propter aulicos, qui occupati semper sunt, tum propter eum qui causam agit Blesanum, auctoritate parum in ea re valentem. Scripsi ejus nomine ad D. Camerarium, et te etiam oro ut causam adjuves cum civis tui tum viri boni. Nam si stipendium, ut vocant, consequi posset aut de eo consequendo spem, posset ejus usus esse in Ecclesia, neque verendum esset in hoc, quod (?) male collocaretur, qui et propter aetatem jam gravior est et propter mores mihi valde commendatur. Nosti ipse qualis sit; sed quoniam me per literas rogavit, cum propter communia studia tum propter inopiam, quae aliquando est futura, etiam mediocriter doctorum, nolui ei deesse, idque ut in optimum a me accipias pactum, te vehementer rogo. D. Bornero incepti scribere Epicedion. Velim Egidium Misnerum alloquere, ut id quod promisit coram patroni sui nomine mihi praestet, et a prima usque aetate, quantum novit, de ejus vita et studiis mihi breviter consignet; faciet mihi rem pergratam. Peterem id a te, nisi vererer, ne esses occupator, peto tamen propter communem cum illo amicitiam, ut id tu quoque facias; neminem enim habuistis de Academia vestra, cui tu nunc praees, prolixius meritum, ut etiam officii ratio id a te flagitare videatur. De quibus nuper libris scripsi, quos Blasius habet, eos cum hoc mitte: vellem et pecunia mitti pos-

set, sed hoc hisce nudinis fiet tutius, libros modo accipiam.
Vale. Misnae.

G. Fabricius.

Magnifico viro D. Volfgango Meurero, Academiae Lipsiensis Rectori et philosophiae professori doctissimo, amico suo colendo. XIX. Decembr. 1547.

XLVIII.

1548.

S. Credo tibi, Volfgange, quod sis occupatissimus, praesertim in hoc munere, et hoc tempore, quamobrem facile fero silentium tuum, neque ulla id excusatione opus habet. Quod Blasii negligentiam in iis transmittendis, quae tantopere volebam, in te transfers, duplici ratione peccas; nam et illi nocet, et mihi justam admonendi causam eripis. Quoniam tamen ita meos amas, ut ipse illorum nomine culpam subire velis, agnosco etiam in eo benevolentiam tuam*). Commentarii Donati in Virgilium, in quibus emendandis multum operae et studii posueram, editi sunt a Venetis cum aliis quibusdam, sed quae solet esse illorum hominum diligentia; non impediunt credo editionem meam, nisi forte Iuntas excuderit, qui reliquis solet esse melior. Ipse non vidi, sed scripsit ad me Vuerterus. Eos igitur sive publice venales videris, sive apud amicum repereris, cura ut habeam, aut saltem ut videam. Tragum medicum de plantis scripsisse Germanice audivi, quem peroptarem habere, ut cum herbis iidem libri conjungerentur. Materno Badehorno pecuniam trade ad me perferendam, fratri meo tantum inde numera, quantum ad ea, de quibus scripsi, emenda satis fuerit. Vuerteri nostri literis nihil aliud continebatur, quam quod de Donato modo te admonui, et quod scripsi ad D. Zieglerum. Ordinem librorum Agricolae, ut mihi significavit Adamus, ad te mitto:

De subterraneis animantibus lib. I.

De medicatis fontibus lib. II.

*) *Commentarii - solet esse melior.* Reddidit haec verba Schreber. vit. Fabr. p. 203, apud quem pro *nisi forte Junt. exc.* simpliciter *forte scriptum* omisso *nisi*.

De re metallica	lib. XII.
De ponderibus et mensuris	„ V.
De precio metallorum et monetis	„ II.
De restituendis ponderibus	„ I.
De mensuris quibus spacia metimur	„ I.
De mensuris externis	„ II.
Commentariorum	„ VI.

D. Camerarium saluta, cui scribam, quando Epicedion Borneri missurus sum: de hujus vita vellem ea quae promisit mitteret Egidius. Vale. Misenae pr. Cal. Decembr. anno a nato Christo MDXLVIII. (leg. VII, ut ex inscriptione epistolae apparet).

Georgius Fabricius.

Magnifico viro D. Volfgango Meurero, Academiae Lipsiensis Rectori, dignissimo domino et amico suo cum primis colendo.
2. Ianuarii 1548.

XLIX.

S. Ioannes Lindnerus, qui meas tibi reddit, theologicam cupit suscipere functionem, adolescens eruditus et minime malus. Is putavit meas literas pondus apud te habituras esse. quam ob rem velim eum juves in re pia et honesta. Moneas etiam ut modeste doceat, nosti enim τὸ θυμοειδὲς in hac aetate. Scripsi ad Sturmium jam, ideo sum brevior. Vale. 1548.

Georgius Fabricius.

Magnifico viro D. Volfgango Meurero, Rectori Academiae Lipsiensis, amico suo praecipuo. XII. Ianuarii 1548.

L.

S. Quod ad te nunc mittitur, Vir magnifice, id publice mitti videtur, praesertim si tale aliquid sit, quod ad studia et literas pertineat, quarum non solum iudicium, quo semper abundasti, sed etiam dignitas tibi commissa est. Mittimus autem nunc ad te *Luctum scholae nostrae de obitu clarissimi viri Casparis Borneri*, qui non solum nobis amicus fuit, verum

etiam in munere suo integre et fortiter versatus maximas utilitates attulit universis, et quoniam omni genere literarum et virtutum fuit excultus, ornavit et nos qui cum eo viximus aut ejus consuetudine usi sumus, et communi patriae nostrae perpetuo erit ornamento. Hujus viri laudes non ambiciose collegi sed commemoravi vere, et collegis meis auctor fui, ut idem facerent. Ita tamen mittimus hoc quidquid est exercitationum, ut de iis tu judices, tibi que liberum sit statuere quid velis. Quod si probabis scriptum hoc, communicabis etiam (cum) iis, quibus mors optimi et doctissimi viri dolorem attulit, et quibus vivus ipse carus fuit. Sed de hoc satis. In proximis tuis ad me literis accusatione usus es, quae primum movit animum meum, quamvis ea verborum lenitate perscripsisti, ut nihil posset ne ab admonente quidem fieri amabilius. Ego factum meum aliter purgare nequeo, quam quidquid fuit in literis meis, id ab amore profectum et scriptum esse. Quamobrem ut servum, qui in procurando domini mandato prae studio et diligentia committit aliquid, ferimus: ita tu pro tua humanitate et aequitate amico ignosces, si vel benevolentia fuit audacior vel, dum urbanus esse voluit, ineptiis te offendit. Vale felicissime. Blasium fratrem videre cupio et de re necessaria cum eo loqui. Vellem iter ad me susceperet quam primum. Misenaë, Bacchanalibus MDXLVIII.

Georgius Fabricius.

Magnifico viro D. Volfgango Meurero, Lipsiensis Academiae Rectori, amico suo in primis colendo. XII. Februar. 1548.

LI.

S. Ignosces mihi, quod rariores a me accipis, jam enim ad multos mihi sunt adornandae literae, quas Blasio dem Argentoratum ituro. Quod si absque molestia tua fieri potest, rogo ut scribas ad Sturmium; responsionem tibi impetrabit frater, quem etiam velim confirmes consilio tuo; videtur enim a nescio quibus persuasus esse vel potius deterritus ab illo itinere, quo tamen utilius et ad studia accommodatius suscipere nullum possit, ne si in Italiam quidem ablegaretur. Ego video

Deo placere, contra cuius voluntatem nobis non est pugnandum. Quod si Lipsia abest jam, ut conjicio, nuncium sine tuis non (scr. ne) remitte, ex quibus de eo intelligam. Oeconomus noster orat, ut cures sibi salmonem integrum recentem per aliquem emendum, et huic nuncio des perferendum; pecuniam primo quoque tempore remittet; idque te oramus etiam nos, et, si placet, ut huc venias et nobiscum illum edas. Vale feliciter et nos ama. Idibus Martiis. MDXLVIII.

G. Fabricius.

Magnifico viro D. Volfgango Meurero, Academiae Lipsiensis Rectori, amico suo observando. Dominica Laetare 1548.

LII.

S. D. Subtilis ignorantia est: nam ego de Salomone et Glaucō mira somniavi, donec recordatus sum, ad quam potissimum epistolae meae partem respondisses. Quamquam inventa etiam sententia non desii ingeniosus esse, referens dictum ad deum illum marinum; sed occasionem inveniendi veri dedit mihi libellus Agricolae de subterraneis animantibus, quem mihi legendum misit, in quo cum haererem dubius de pisce quodam, etiam Glaucum tuum reperi. Cura igitur investigandi fecit mihi gratiorem jocum tuum, et urbanitatem tuam ac superioris anni hoc ipso tempore consuetudinem in memoriam revocavi, qua cogitatione nihil mihi potest esse jucundius*). Scribit ad me Blasius, ut magnam invidiam atque etiam infamiam fugiam in Bornero celebrando, sed auctorem mihi neminem ostendit sententiae suae. Ajunt quidam, ipsum sine sumptione sacramenti decessisse, et nunquam probasse utramque speciem. Ego credo nullis calumniis, D. Camerarii et tuo judicio sto, et quae illi tribui vere videor tribuisse. Nam quem D. Camerarius publica oratione ornavit, quem tu tam honorifica de eo ad me epistola praedicasti, quem ego novi, cur non laudem et amem mortuum etiam amicum? Exquire tamen ex fratre tacite, nulla,

*) Reddidit hanc partem epistolae inde a verbis: *Scribit ad me Blasius* usque ad *non aspicere ausi fuissent* Schreber vit. Fabr. p. 44., ubi vitiose epistola anno 1538 pro 1548. data dicitur.

quod de hac re ad te scripserim, mentione facta: tantum dic, te curaturum, ut imprimantur epitaphia nostra, et vultum illius inspice, qui tibi dabit occasionem interrogandi. Certe poena digni essent non solum invidiae nomine, quae post fata etiam in hostibus solet desinere, sed etiam impietatis et ingratitude illi, qui talem virum dehonestant defunctum, quem vivum prae timore non aspicere ausi fuissent. Scripsi de eadem re antea ad te, sed obscurius, unde ego Salomonem tuum, de quo initio risimus, putabam ad illud alludere. Sed non potui continere dolorem meum, quin te ejus participem facerem. Te oro, ut in occupationibus tuis mihi ignoscas prolixius scribenti. D. Camerario et D. Badehorno a me et collegis meis omnibus salutem plurimam. Vale feciliter. Misenae Idibus Martii. MDXLVIII. Subito.

G. Fabricius.

Magnifico viro D. Volfgango Meurero, Academiae Lipsiensis Rectori dignissimo, amico suo colendo. XVI. Martii 1548.

LIII.

S. Expecto quem probaturus sit Ovilius, qui nullum admittet nisi sui similem, si modo similem habere potest is, qui propter sententiae inconstantiam sui ipse est dissimilis. Opto autem, ut vestra prudentia consulatur pueris, quorum institutionem rectam cupit impedire diabolus. Metzgerodus doctus est juvenis, et qui cum genere conjunxit pulcherrimas virtutes, amorem veritatis et morum modestiam. Quamobrem gratias tibi ago, qui dederis tuis literis et mihi et illi occasionem ineundae inter nos amicitiae. Cum paululum respiraveris, agemus inter nos prolixius de rebus omnibus: nam cum jam candidatus sis, etiam nolentem te prensationes illae distrahent, quem tamen scimus ab omni ambitione et quae illam sequuntur ineptiis esse remotissimum. Ex D. Camerarii literis intellexi, ipsum huc esse venturum inspiciendae scholae gratia; vellem, si fieri posset, una ad nos venires. Tecum, inquit ipse, colloqui cupimus ego et Meurerus noster, et addit: multis et gravibus de caussis. Quamobrem auctor illi sis, vel potius horta-

tor, ut aut maturet illam profectionem, aut differat paululum commodo tuo, ut te videamus et tibi tuam dignitatem coram gratulemur. Post illam severitatem actionum tuarum aliquid fortasse recreationis accipies cum ex praesentia hic amicorum hospitis et compatris tui et etiam nostra, tum vel maxime ex jucunditate et libertate sermonum, quibus inter nos uti amicissime semper soliti sumus. Oeconoſmo nostro ſignificavi veſtram voluntatem, qui mihi verbo pauca, vultu ſignificavit plura. Sed ſi ad ipſum divertetis, facilius feret, ut ſumptus minuantur. De Jacobo vel proxime literis vel coram tecum agam. Jam plus otii ad ſcribendum non fuit. Vale. Ex Miſena Cal. Iunii MDXLVIII.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo virtute, doctrina, integritate viro L. Volfgango Meurero, philoſopho et medico, amico ſuo praecipuo. III. Iunii 1548.

S. Librum, quem ferre tecum ipſe non poteras, Mezerodo credidi, quem an acceperis, ſcire cupio. Velim ad me ſcribas, quo animo tulerit Doctor Zieglerus, quod filiolum ipſius retraxerit Princeps Anhaltinus. De magno illo libro τῆς μεγάλης ἄτης ſi quid audiviſti, qui receperint aut qui recuſarint, nobiſcum quoque communica, ut vel coecorum hominum vicem doleamus, vel gaudeamus propter conſtantiam eorum, qui ſe pulcherrimo facinore opponunt ſophiſticae: nos ab illo tempore, quo comitia hic finita ſunt, ne verbum quidem, vos plura cognoscetis. Oro te, ut me excuſes apud D. Leonardum, quod epithalamium non mittam; culpa adolescentis non eſt, ſed mea, qui nondum perlegerim; accipiet tamen quam primum. Nos fortasse brevi audiemus, quid fructus tulerit arbor illa cum ranula, cujus picturam antea miſimus. Sed jam rem certam tenemus neque opus eſt illis aenigmatis. Vale et amicos communes ſaluta. Idibus Iulii Miſenae.

G. Fabricius.

Doctissimo viro D. Volfgango Meurero, philoſophiae et graecae linguae profeſſori, amico ſuo praecipuo. XIX. Iulii 1548.

LV.

S. Librum tuum commisi Abrahamo Mezerodo tibi gratias quas possum atque debeo ago pro tuo in me officio. Literas adjunctas cura perferendas bibliopolae. Quid post discessum vestrum hic sit actum, ex tuis audies. Obsecro te, si quid cognosces de civitatibus, qui τοῦ μαργίτου*) acceperunt vel non, id mihi significes. Vale.

Fabricius.

D. Volfgango Meurero. 19. Iulii 1548.

LVI.

S. Elegantiarum puerilium libros ad Papam nunc misi, quos arbitror utiles scholis futuros. Vellem, si tantum otii haberes, ut epistolam utramque additam perlegeres, in quibus si quid mutandum videbitur, muta audacter nec expecta sententiam meam. Libenter enim mea tibi omnia committo, et te vere judicare scio. Raras autem quod ad me mittis hoc tempore, non miror; aliae enim ex aliis ambitiosis nascuntur occupationes, et te jam candidatum esse suspicamur. More hominum facis et usitatum honorem petis, quem eruditione atque virtute jam pridem es assecutus. Sed ita ajunt, neminem isthic posse conditionem opulentiae uxoris invenire, nisi solitos honorum gradus ascenderit. Hoc fortasse te quoque movet, et cani monent; quid enim aliud obstitit, cur hactenus non feceris, quod nunc facere cogitas? Dum deliberamus, mi Volfgange, senescimus. Abjiciunda hercle haec mollities animi. Haec scribo, quia novos rumores audio et quia flamma redardescit, quae modo nulla fuit. Sed nunquam tam celabis omnia, quin aliqua aura ad nos perveniat; quamobrem aut fatere id quod fatendum tandem erit, aut te excusa, si putas opus esse. Venio

*) Ph. Melanchthon in ep. ad Hieron. Baumgaertnerum Norimb., cujus apographon est in cod. Goth. m. 212. pag. 83., scripta d. 20. Iun. 1548. „Spero vestram civitatem ὁρῶν τηρῆσθαι τὰ δόγματα: in aulis quam sint infirmæ voluntates, exempla ostendunt. Μαργίτης (scr. Μαργίτης), quem etiam ajunt sibi placere, quod auctor sit hujus novae νομοθεσίας, quanto in odio apud suos etiam erit.“

ad alia. Si de pecunia, quam misi, aliquid reliqui est, Schuemmeliō solve, quae petet Blasij nomine. Papam quoque hortare, ut diligenter excudat libellos nostros, si modo vos dignos luce iudicabitis. περὶ τῆς ἀτῆς jam mussitandum est: ὁ utinam. sed erumpunt ex vicinia voces minime amicae. Haec ad lucernam scripsi, quamquam lucernam minime oleant. Vale et, obsecro te, ignosce. Misenaē, VII. Cal. Sept. Si scribere non potes et quid novi habes, committe Schuemmeliō.

Georgius Fabricius.

Clarissimo eruditione ac virtute viro D. Volsango Meunero, philosophiae professori, amico suo praecipuo. XXVIII. Augusti 1548.

LVII.

S. Misi ad te Elegidion, quod tamen nimis prolixum esse ex tuis ad nos literis potui intelligere. Mutavi igitur et carminis genus, et prolixitatem vitavi pro ratione temporis. quod si mihi consuetudo nota fuisset, statim fuisset obsecutus voluntati tuae. Nihil enim magis mihi in votis est, quam et studia mea ad iudicium accommodare tuum, et caetera officia, quae amico et bene merito debentur, probare. Mitto nunc oden sapphicam. cantiunculam valde suavem et ᾠδὴν mittit Reuschius noster, qui hoc ipso die, quo haec ad te scribo, munus ludimagistri in oppido suscepit et nobis valedixit. Schola igitur nunc caret Musico, quem nunc quartum mensem ex aula flagitamus, et, si volet Apollo, nanciscemur, sed quo tempore, nescio. Mihi nunc detrahitur aliquid et otio meo, sed quid agas? Habetis isthic, ut audio, praestantem virum, studio juris deditum, Johannem Stahel Musicum, cui vellem auctor esses, vel per D. Zieglerum efficeres, ut cantilenam vel eandem componeret, hoc est illos hendecasyllabos, vel hos sapphicos. Quod si factum est, cupio atque peto a te, ut vel cum Ravi heredibus Vuitebergae, vel cum Papa apud vos agas, ut simul imprimantur. nam et novum exercitationis genus est, nam huiusmodi gratulationem musicam nullam vidi, et alios in eodem genere excitabit, ut potius celebrent doctos et honestos

viros, qui iudicare de ipsis rerum monumentis possunt, quam monstra quaedam hominum, qui, nisi opes haberent, nulla commendatione possent esse clari. Ambitio quaedam est in amicitiiis, equidem me honorari puto, cum de tuis laudibus audio. Vale et hanc cupiditatem meam vel boni consule vel non reprehende. Misenae Idibus Novembr. MDXLVIII.

Tuus Fabricius.

Salutat te hospes et compater tuus, qui nunc etiam est meus.

Ornatissimo et doctissimo viro D. Volfgango Meurero Medico, amico suo praecipue observando. XVII. Novembr. 1548.
Im großen Collegio

LVIII.

S. D. Quod ego oratione non potui, id suavitate vocum et harmoniae concinnitate ita assecutus est Ioannes Reuschius noster, ut et singularem artem ostenderit, et τὸ ἡθικὸν ita expresserit, ut et musicum agnoscas in illa cantilena, et hominem peritum earum rerum, quas vos philosophi maximas, ut sunt, recte iudicatis. Mihi certe jucundum officium fecit, et tibi, ut spero, gratissimum. Vellem ut meum consilium sequeris, de quo proximis ad te literis, ad quas responsum expecto. D. Camerarium vere nostrum conveni in Cella, ex cuius sermonibus plura intelliges. Cantorem in schola nostra nondum habemus; negotium D. Philippo commissum Oeconomus mihi narravit. Obsecro te, ut D. Camerarium admoneas. ut instet diligentius; aegre enim certe illo caremus in tanta multitudo puerorum. Subito admonitus a Materno has literas aurigae dedi, proxime diligentiores et copiosiores accipies. Salutant te D. Reuschius, compater tuus et hospes. Vale. Die Clementis, prima die hyemis. MDXLVIII.

G. Fabricius.

Doctissimo viro, praestanti virtute praedito, D. Volfgango Meurero Medico, amico suo praecipue observando. XXVII. Novembr. 1548.

LIX.

S. Honoribus tuis ex animo, Vir doctissime, gratulamur, et dolemus ereptam nobis omnibus esse facultatem veniendi ad te, qui tuae dignitati favemus et celebritati adessemus libentissime, et hoc tempore etiam egeremus consilio. Alteram causam ego exposui D. Camerario in Cella, alteram longe maiorem tibi enarrabit Abrahamus a Mezenrode, cui coram scholae ingens periculum et certissimam mutationem exposui, rem per se indignam, tum ferocia hominis libidinosi et improbi multo indigniorem. Stabo in mea statione quamdiu potero, et fortasse ad vos prius quam aut ipse cogito aut vos suspicari poteris veniam, gloriosus exul: schola enim haec his moribus stare aut concordia ali non videtur posse. Excusationem nostram pro tempore necessariam accipies amice, et tibi id persuadebis de nobis singulis, nos et colere te, et observare pro meritis multis et singulari virtute tua, et ita favere laudibus tuis, ut etiam quae satisfaciant nobis ad gratulandum tibi, verba non reperiamus. Deum oramus, ut tibi perpetuae gloriae sit honor, quem nunc nomine accipis, eruditione, virtute, maximarum rerum usu jampridem apud bonos et doctos es consecutus. Vale et nos omnes, ut facis, habe tibi commendatos. Ex Misena IV. Nonas Decembris MDXLVIII.

Georgius Fabricius.

Matthias Marcus Dabercusius.

Hiobus Madeburgus.

Ornatissimo et virtute et doctrina et humanitate viro D. Volfgango Meurero Medico, domino et patrono observando.

LX.

S. Excusationem nostram literis proximis intellexisti, eaque te acquiescere confidimus, quia officio et necessitate nititur. Tibi autem honorem debitum gratulamur et gaudemus amicitiae nostrae nomine, et quoniam praesentes interesse laetitiae illius diei non possumus, animis tamen et votis aderimus. scimus enim, te ea laude, quae inter eruditos maxima est, dignissimum, et ea virtute, facultate atque doctrina prae-

ditum, ut singulare ornamentum futurus sis ordinis tui. Poculum argenteum reddet tibi hic nuncius, quod ego, compater, hospes, procurator tibi mittimus ex scholastico penu, munus exiguum, quod tu pro tua humanitate consules boni, quodque ideo ornatus erit, quia tibi datum est. D. Philippum Melanthonem credo adfuturum honoribus tuis, cui D. Commerstadius negotium dare voluit in Cella, ut Cantorem ad nos mitteret, sed id postea inter negotia excidit. In tanta frequentia puerorum aegre caremus collegae officio. Abs te peto, ut illud negotium scholae nomine cum eo agas, qui*) optime nosti, quali homine egeamus, et quales antea habuerimus Hofmannum et Reuschium, qui etiamsi Iberici aut Belgici non sint, boni tamen viri sunt et eruditi Musici. De casu, de quo nuper tibi significavi, nihil addo amplius, sopitur enim et jure componetur, et ego fero, ac me ipsum patientia, quam multam in hoc munere didici, vinco, quia poenitentis prae se speciem fert, quam mihi caeterisque collegis et plurimis lacrymis ac multa obtestatione testatus est. Tu pro tua prudentia scies, cui et literae nostrae tuto et sermones de illo negotio pessimo sint committendi. Vale. D. Philippo et D. Ioachimo patronis ac praeceptoribus nostris salutem. Misenae, die Eulaliae MDXLVIII.

Georgius Fabricius.

Matthias Marcus Dabercusius.

Hiobus Madeburgus.

Ornatissimo doctrina, virtute, humanitate viro D. Volf-gango Meurero Medico, amico suo praecipue observando.

LXI.

1549. S. Literae tuae, doctissime vir et amice observande, voluptatem mihi nunciarunt, quam ego singularem percipio ex facto tuo, planeque gaudeo obtigisse tibi talem puellam, sociam vitae et curarum omnium consortem, qualem tu maxime

*) *Optime nosti - Musici* Schroberus, qui exscripsit hunc locum epistolae vit. Fabr. p. 80. vitiose: *et qualem antea hab., et max: qui, etiamsi non Iberici et Belgici sequ.*

optasti, non loquamur de opibus, sed de moribus et virtute, quae stabilia bona sunt et in convictu necessaria et a Deo dantur piis hominibus. Opto autem et precor tibi tuaeque ea omnia, quae possunt a benevolo et amico animo proficisci, et cupio votum meum literis consignare, si tu uberiores epistolam de tua sponsa ad me miseris simulque significaveris mihi aut etiam expresseris argumenti materiam. Scribe autem omnia, si mihi gratum facere vis, quaecunque tibi suggesserit amor: scis enim in eo genere requiri aliquid festivius et ornatius, quod quamquam ego jam vexatus curis et propter communem rem et ecclesiae turbationem, quae impendere videtur, et propter meos etiam praestare vix potero, tamen propter tua in me merita et amorem nostrum utrimque perspectum conabor, et efficiam, quantum pro mei ingenii tenuitate potero. De profectionibus tuis Germanicis adjunge, et de studiorum tuorum ratione antequam mihi notus fuisti. Quod si Musae mihi favebunt, scribam epithalamium: sin minus, scribam tamen aliquid. Ad vos veniendi nescio an mihi facultas futura sit, de qua re alias plura. Vale et honestissimam M. tuam saluta meo nomine. Misena ex schola nova Principis pridie Epiphaniae MDXLIX.

G. Fabricius.

Ornatissimo doctrina, virtute, integritate viro D. Wolfgango Meurero Medico etc., amico suo praecipue colendo. IX. Ianuarii 1549. Im großen Collegio.

LXII.

S. Epithalamium scribere tibi aggressus sum, et idem negotium dedi cuidam ex auditoribus meis, qui et natura valet in scribendo carmine, et usu non inelegans dicendi genus sibi comparavit. Reuschio quoque auctor futurus sum, ut cantilenam aliquam honoris tui causa, quod et fecit antea, componat. Materia mihi deest in ornanda sponsa tua, et mihi persuadeo neminem posse verius dicere te ipso, quae in ea commendanda sint, quamobrem in proximis tuis literis copiose velim ad me scribas, easque ut quamprimum huc mittas rogo. Si tibi ita videtur, dabo Papae excudendum una cum D. Bade-

horni, ut extet et hoc meae erga vos observantiae testimonium: nam quibus plus tribuam et quos magis amem, habeo plane neminem. Musico collega aegerrime careo, et quanta cum molestia et otii mei jactura, tibi relinquo judicandum. quare elabora et tu, ut primo quoque tempore et adolescentiae studiis et meis literis atque Musis consulatur. Vale et D. Badehorum saluta. Misenaë, XVI. Cal. Febr. MDXLIX.

Georgius Fabricius.

Artificio quodam miro reperi sponsae tuae nomen ab M litera incipere, postea a Reuschio certior factus sum, eam *μαργαρίτην* appellari, quod nomen Graecum mihi non placet, quoniam aptum carmini non est.

Ornatissimo doctrina et virtute viro D. Volfgango Meurero, medicinae Doctori, amico suo inprimis colendo. 21 Ianuarii 1549.

LXIII.

S. Tuis interesse nuptiis, vir observande et amice carissime, ut vehementer cupiebam, ita doleo impediri me occupationibus meis et moribus hominis, quem facile intelligis: quamobrem non utar accurata excusatione, ne quaesisse illam videar, et certo scio constare tibi de meo in te amore. Puto etiam opinionem aliorum de nostra conjunctione et voluntate non posse minui absentia mea, et iudicium meum de facto tuo scribendo epithalamio declarabo, quod tibi sum literis antea pollicitus. Hactenus absolvere non potui cum propter negotia scholastica, tum quod tuas expectarem, unde mihi nasceretur materia et copia ad ornamentum argumenti mei. Quae in tuis induxisti calamo, ea ita legi: Quod ad formam, cultum, speciem, et praestantiam corporis attinet, videtur esse placida ac benigna, frugi atque modesta, et praeterea non avara, in texendo et nendo ingeniosa. Vides me divinare ex literis, divinator certe fui in nomine sponsae tuae, quod ego a litera M incipere ex quadam figura Romae empta deprehendi, et dum diligentius cogito de nomine, etiam redii in memoriam, familiam mihi notam olim fuisse, et videbatur pater puellae seve-

rus homo et observans disciplinae domesticae. Quod autem scribo de meo adventu impedito, idem de collegis meis intelliges et Reuschio. Sed dum epithalamium facio, interea accipe paucos jambicos, quos melodiis inclusit Reuschius noster; arbitrator te ejus studium probaturum, idque ut facias rogo. Tibi tuaeque precor fausta et salutaria omnia, caetera reservo carmini. Vale. Misenae Cal. Febr. MDXLIX.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo viro doctrina et virtute singulari D. Volfango Meurerò Medico, amico suo praecipue observando. 7 Febr. 1549.

LXIV.

S. Epithalamium promissum tandem ad te mitto, quod etiam testimonium nostrae conjunctionis esse volo, teque rogo ut hanc amicae voluntatis significationem lubenti animo accipias. Scripsi de eo proxime ad Papam, me ipsi traditurum excudendum, quod si censes esse faciendum, facile illi, ut opinor, persuadebis, curabisque ne minutis suis literis et carta illa perangusta, sed paulo amplioribus characteribus et splendidiore forma imprimat. Ad annorum numerum in utroque diem nuptiarum et tuarum et Badehorni adjicies, et si quid emendandum judicabis, tuo judicio libere et amice utere. Nomina propria in margine videntur adjicienda: tu vide num erraverim in quibusdam, nam dubito, praesertim in nomine proprio Fracastorii, quod mihi excidit: careo ejus elegantissimo opere, quod Sipylin nominavit, ut et Aonii de animorum immortalitate. Proximae tuae literae mihi aenigma loquebantur de aurea torque, quam ego ipse detraxi. Deus perdat istos invidos et infidos. Uxorem amisit noster, quaeris quam? uxorem anum. Cantilena Tragici est; castos sequitur mala paupertas, vitioque potens regnat etc., nosti enim locum. Sed quid facias? illis nunc praemium est. O seculum dignum iis malis, in quibus est, et etiam majoribus. Nolo plura, coram ista rectius agi possent. Deum oro ut regat animos nostros spiritu suo, ut recte sentiamus, et ea quae sentimus et recta sunt proferamus,

defendamus, et amemus usque ad extremum spiritum. Vale feliciter cum tua conjuge. Misenae Cal. Martii MDXLIX.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo eruditione et virtute viro D. Volfgango Meurero, Medico et amico suo praecipue observando. VIII. Martii 1549.

LXV.

S. Silentium tuum propter absentiam excusavit nuper suis literis D. Badehornus, et ab eo te accepisse epithalamium tibi conscriptum existimo, de quo etiam iudicium tuum avide expecto, num satisfactum sit aut voluntati tuae aut conjunctioni nostrae. Sturmium Argentorato exulare audivi, et agere in Saxonia Brunsvigi, de quo si quid cognovisti certi, fac me quaeso certiore. Profecto mihi videtur interitus imminere et moribus et literis, nisi Deus nos respiciat et frangat eos, qui cursum hunc impedire conantur. Suemmelio manda, ut me scire faciat, quando abituri sint librarii vestri Francofordiam, nam necessarias habeo ad fratrem literas, qui nisi singulari prudentia, si qua mutatio in illa Republica fiet, utetur, facile poterit sibi magnum malum conciliare, et ego novi illius impetus. Vellem, si otium tibi esset, ut ipse quoque ei scriberes. Novum conventum eruditorum istic institutum audivi. Deus conservet illos nec flectant animos suos ad voluntatem impiorum, si qui nituntur illis imponere. Vale. Salutant te compater et hospes. Misenae Idibus Martii MDXLIX.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo et doctissimo viro D. Volfgango Meurero Medico, amico suo inprimis observando. XVIII. Martii 1549.

LXVI.

S. Credo te animadvertisse negligentiam librarii in epithalamio tuo; nam ex Cuspidii in meum transtulit duas paginas, hoc est versus CXII. Quod qui legent et ignorabunt, aut insanum aut ebrium me fuisse iudicabunt, nequaquam enim

cohaerent, ut vides. Velim, si fieri potest, ut cures emendanda loca. Tuum jam diuturnum silentium miror. quamobrem excubabis aliquando literas tuas, ne oblitus nostri videare. Torgensis conventus nescio quid novi pariet: spero heroas nostros reventuros animi robur pristinum, et curaturos ut ultima ipsorum cum (del.) primis respondeant. Hoc largiatur ipsis Deus. Misenaë IV. Id. Aprilis. Vale.

Georgius Fabricius.

Clarissimo viro, eruditione et virtute excellenti D. Volfgango Meurero, medico, amico in primis colendo. XII. Aprilis 1549.

LXVII.

S. Petri Rami animadversiones si legisti, cupio de iis tuum audire iudicium: sin Vuiteberga allatae tibi non sunt, mittam tibi librum. De inchoato opere Sturmii non possum non praeclare sentire ex initio, quod legi, et literis jam eum adhortor ad maturandum opus. Scripsit Daniel Barbarus, scripsit Petrus Victorius: sed ego et dicendi copia et usu praeceptorum et tractandi modo puto longe superiorem futurum Sturmium, qui non solum docet artem, sed et praestat. Epithalamia velim ad Vuerteros mittas; promisi enim Antonio, et nullum mihi eorum est exemplar. Coniunge cum literis meis, vel ad eas potius adijunge. Chr. Leuschnerus nihil sane novi attulit, nisi Senam ab Hispanis oppressam, et nobiles in ea multos securi percussos. Montanum satis dignis laudibus non potest extollere, et est laude dignissimus. Sed cum huc veneris, coram ex eo cognosces plura. Rationem monetae Italicae ad te remitto, et ago tibi gratias. Literae meae, quas in nundinis vestris misi Blasio transmittendas, an perlatae sint, scire cupio. Quod si dari nemini potuerunt, huic nuncio trade, quem Steinum mitto ad Vuicelebium. Vale feliciter et me ama. Misenaë ex schola illustri VI. Cal. Iunii MDXLIX.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo viro, doctrina et virtute excellenti D. Volfgango Meurero, Doctori medico et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo. XXX. Maji 1549.

LXVIII.

S. Ramus dignus Vulcano, qui cum in pulcherrima et copiosissima silva prodierit, non contentus sua umbra caeteras arbores conatur opprimere, rhamnus populum. Scripsit Ioachim Perionius pro Aristotele contra Ramum orationes II., quas ego mallet legere quam illum hominem audire magno conatu magnas nugas dicentem. Michael Cuspидius cum suo condiscipulo stipendium a senatu Dresdae est consecutus, qui nunc ad vos veniunt, studiosi ambo et modesti; his si potes commodare, ut in Paulino habitationem et mensam habeant, quaeso eos ut iuves et tua auctoritate in officio retineas. Cuspидii naturam cognovisti ex carmine gratulatorio, alterius quoque mores et ingenium probabis. Si simul vixerint in eodem contubernio, poterit alter alterum excitare, idque, ut puto, fieri facile potest. Erit ex utriusque comodo, si interdum proponas aliquid quod scribant et tibi dent, ut ea ratione in studio retineantur; quod si facient, spero eos ornamento futuros suis. De Badehorno, quem hic non admodum valentem videram, sum dolore affectus, in maiorem morbum eum incidisse: literis tuis lectis, ipsum meliuscule habere, matri indicavi, quam flentem et doloris plenam ex relatione nescio cujus nuncii inveni. Si quid librorum his nundinis fuit, qui tibi prae caeteris placuerint, mihi significa, et feliciter vale. Misenaе VII die Iunii ex schola illustri. MDXLIX.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo doctrina et virtute viro D. Vuolfango Meurero, Medico et philosophiae professori, amico suo praecipue observando. Ultima Iunii 1549.

LXIX.

S. Novum scholae nostrae laborem jam peperit diabolus, auctor discordiae et miseriarum. Doctor Zieglerus nuper hic fuit et nescio quae imprudentius jecit in Oeconomum et ipsum Cummerstadium. Quapropter mandato Principis Commissarius ad cognoscendam causam datus est hujus urbis Praefectus una cum Quaestore, qui ex nostro Pastore, Matthia, Hiobo, et decem

pueris quaesivit, quae ipsi audivissent. Jam ut audio constituetur alter Commissarius, qui etiam ex D. Valentini Gravii nuncio ad me misso et tum praesente, ut ex Quaestore scholae hujus eodem modo exquiret. Vehementer, ut ex scripto apparet, animus Principis offensus est. Haec ad te subito scripsi, amici nostri causa, cum quo velim haec ipsa loquaris, ne imparatus sit ad se excusandum. In fine mandati Principis etiam de filio ejus adjectum, quo jure et quo auctore sit in scholam receptus, et quot annos natus. Haec, ut cogitare potes, me perturbant, cum amici causa, tum etiam mea. Rogavit me Vuicelebius, ut sibi de adolescente erudito et bono prospicerem. Iacobus frater meus parum auctoritatis habet apud pueros, quamobrem graviore quodam et nonnihil in instituendo exercitato opus esset. Si quem nosti, nomen ejus perscribere, et vale felicissime cum tua conjuge. Misenae subito pr. Cal. Iulii.

D. Camerario salutem.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo viro, doctrina et virtute praestanti D. Volfango Meurero, medico et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo. VI. Iulii 1549.

LXX.

S. Ago tibi gratias, quod de adolescente idoneo ad docendos pueros tam diligenter ad me scripsisti, et ego, quantum in me erit, illius studia commendabo nostro patrono, cui tamen semper, ut par est, soleo liberum relinquere judicium, quod ipsemet non vulgare de hominibus habet. Expecto intra XVI dies literas aliàs Argentorato, quibus acceptis ad Vuicelebium scribam, et tu, quia noti sunt adolescentis mores, tuas cum meis conjunges. Fasciculum literarum reddidit mihi Badehornus, sed desunt nonnulla, quae aut frater adjungere oblitus est, aut nuncius in itinere perdidit. De antiquitatibus Byzantinis scripsit ad me D. Muslerus, quarum fructu ne me prives te vehementer oro; nosti in iis vel inquirendis vel legendis cupiditatem meam. Rivii filio gratulor, sed quid sibi velit

amici ejus promissum, cogitandum est. Obsecro te ut ignoscas negligentiae harum literarum: schola nostra jam non impleta, sed referta est. Deum aeternum oro, ut mihi adsit in hac imbecilli aetate regenda; nam quantus ille labor sit ex animo cupienti satisfacere muneri suo, quotidie magis intelligo. D. Ziglerum officiose ex me saluta, cujus filius bene habet et mihi obsequitur; respondere uxori ejus jam non potui. In ejus causa nihil omisimus diligentiae, ne acerbior fieret. Schola Argentoratensis adhuc salva est, ut ex fratrum literis intelligo. Sturmius noster non solum doctrinae et eloquentiae, sed etiam virtutis, pietatis, constantiae egregium est exemplum, contra quam ambitiosus et garrulus ille philosophus. Vale. Ex schola illustri Misenae die XII. Iulii MDXLIX.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo doctrina et virtute viro D. Volfgango Meureri medico et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo. XI. Iulii, qui Margarethae erat 1549.

LXXI.

S. Quamvis subito mihi scribendum esset, tamen nolui occasionem dimittere adjungendi tibi amici, et quo breviores literae meae sunt, eo plus voluptatis ex usu hominis tibi commendati percipies. Humelius qualis sit, ejus mores indicabunt, integer, frugi, modestus; de doctrina tu judicabis, qui id rectius atque melius me ipso facere potes. Transtulit familiam suam ad vos, et sine dubio amicis honori erit et Academiae vestrae ornamento. Sturmium nostrum audivit annos quatuor, Melanthonem fortasse plures. Antea mihi notus non fuit, sed, ut fieri solet in tacita quadam animorum conjunctione, ita locuti inter nos sumus, ut solent familiarissimi. accidet idem, ut spero, tibi quoque propter hominis suavitatem et bonitatem. Quamobrem ut faciliorem accessum ad te haberet, et ut illum solita tua humanitate amplectereris in primo amicitiae quasi limine, has ei literas dedi, neque dubito, quin mihi gratias

acturus sis; usura certe ex amici benevolentia tecum fruar.
Vale. Misenae subito, die Catharinae.

Georgius Fabricius.

*Clarissimo doctrina ac virtute viro D. Volfgango Meurero,
Medico et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo.
XXVIII. Novembr. 1549.*

LXXII.

S. Kentmannum heri absque literis dimisi, quia ipsum oratorem ad te dimittebam. Libros, qui suo tempore Sleidano reddendi erunt, nunc mitto, quos ut apud te retineas oro, donec offeratur perferendi occasio. Promisi illi, sed liberare fidem hactenus non potui, et petit, imo flagitat a me vehementer. De novo Papa si quid habes, significa. Terra circa Veidam Votlandiae ardere coepit in agro paludoso, materia bituminosa est, nam vidi, et acris atque foetidi odoris; expecto Agricolae iudicium. Vale. Misenae III. Non. Ianuar. MDL.

1550.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo et doctissimo viro D. Volfgango Meurero, philosopho et medico, amico suo praecipue observando.

LXXIII.

S. Non moleste feres, clarissime vir et amice observande, si tibi hoc tempore onus impono, neminem enim habeo, cujus auctoritas plus valeat apud eos, per quos negotium meum perfici cupio. Mitto ad fratrem libellos aliquos, et ad amicos literas Francofordiam, et apud te reposita sunt quaedam Iohanni Sleidano reddenda: ea conjuncta cum hoc fasciculo cupio reddi alicui bibliopolae aut negotiatori vestro, qui aut fratri, si aderit, aut ejus procuratori Christiano reddat. Abs te igitur peto, ne graveris meo nomine convenire aliquem, cui ista committi possint, et qui non invitatus suscipiat. Scripsi eadem de causa ad Valentinum Papam, et spero negotium hoc ex mea sententia tua cura confectum iri. Misi nuper ad et versiculos nescio quam bonos aut gratos tibi. Calvum quoque remittam

et Fulvium, cum commodè potero. Libellus de Consulibus licet parvus et mutilus valde me delectat, non solum propter historiae cognitionem, sed propter veterum Romanorum exquisitam et laudandam diligentiam, qui et fortes viri fuerunt, et studiosi custodes virtutis et rerum a se gestarum, quas et monumentis et literis ad posteritatem transmiserunt. Unde non immerito Athenienses, doctissimi Graeciae homines, etiam nomini Romanae urbis divinos honores tribuerunt, ut in nostra Roma probavimus. Quia vero in urbis mentionem veni, dicam etiam de novo Pontifice, quem Herculem Gonzagam, Card. Mantuanum, esse dicunt, principem splendidum et politica sapientia excellentem. Tu si quid certius habes, perscribe. D. Cameraio salutem ex me, qui συλλογὰς quasdam ad fratrem meum se missurum scribit: ejus materiae argumentum scire cupio. Vale. Misenae IX. die Martii MDL.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo virtute et doctrina viro D. Volfango Meurer, Medico et philosophiae professori in Academia Lipsiensi, amico suo praecipue observando. XII. Martii 1550.

LXXIV.

S. Romam describam oratione soluta, breviter quidem, sed apte ad intelligendos auctores et ad cognitionem locorum, si quis subito et necessaria cognoscere cupiat. Marliano manet ordo suus et laus sua, sed reliquit tamen aliis etiam diligentiae locum. Cum primum absolvero, fiet id autem brevi, te Aristarchum constituam laboris mei, postea mittam ad Agricolum. Fulvii carmina non habeo, ea velim ad me mittas una cum depictis Urbis regionibus; non deerunt jam homines, qui perferant. Interea titulum hujus libri scire cupio. Consulium et Praetorum nomenclaturae utinam integrae repertae fuissent, quas tibi alio tempore remittam. Sturmii in sophisticos libros mitto, reliquis jam carere nequeo, quae accipies postea. Idem jam scripsit scholia in orationes Aeschinis et Demosthenis, quae sunt a Rihelio impressa, et brevi edet libellum de artificiosa orationis compositione. Schetto gaudeo prospectum esse; si

ipse sibi non deerit, recte poterit suis studiis consulere: egit mihi verbosissimis literis gratias. Iussi tibi reddi tuos libros Germanicos, quos ut serves apud te ad nundinas usque Francofordianas etiam atque etiam rogo; petit eos a me cotidianis flagitationibus Sleidanus. Kentmanno scripsi, sed neque ab eo neque de eo verbum ullum. De Adamo scripsi ad D. Philippum; puto eum idoneum esse, quamquam aliorum iudiciis obstare nolo. Si quid novi apud vos de electo Pontifice, fac me quaeso certiore. Vale. Misenae anno a nato Christo MDL.

Georgius Fabricius tuus.

Spem mihi fecerant bibliopola noster, item pharmacopola, se ad vos ituros curru: sed quia uterque animum mutavit difficultate itineris, et neuter nunc iturus est, libros, de quibus scripsi, non potui mittere, accipies autem primo tempore. Adjunctas cura reddendas Chr. Schellenbergio.

Clarissimo viro D. Meurero, amico plurimum observando.

LXXV.

S. Statueram ad vos ire, sed impeditus valetudine non potui; lassitudinem omnium membrorum dies aliquot sensi non sine horrore; medicina nulla usus sum, sed totius tridui inedia, quae me sublevavit aliquantulum. Morgenstern natu major non salutatus ex ludo discessit: schedam plenam turpissimorum verborum, quam sua manu scripsit, legendam miserat ancillis; eam cum deprehendisset Oeconomus et non immerito ferret aegre, ipse sibi abitu maluit consulere quam causam pro se dicere. Hunc nuncium quamvis sciam molestum tibi futurum, tamen post actam rem, quam ex aliis eras cogniturus, celare nolui. De Iona bene spero, qui et melioribus praeditus moribus est, et quicquid hactenus peccavit, magis impulsu fratris quam sua voluntate videtur fecisse. Si melius habuero his diebus, cum Oecono ad vos veniam. Quod tamen si fieri non poterit, peto abs te etiam atque etiam, ut mihi significes, si quid bonorum librorum Francofordia allatum fuerit. In Sturmii annotationibus quae desunt, videor habuisse, sed non reperio. D. Kentmannus insignia tua depicta ad me misit; hacte-

nus tamen nihil feci, hoc scias velim, mihi ea placere. D. Zigleri nomine pharmacopolae solvi, quae exegit. Neumannus Praga peregre abest, ideoque reliquam pecuniam non accepi. Saxonici motus ne novum incendium excitent, veremur. Deus faxit ut pietatis et literarum conserventur hospitia in hac miserrima mundi senectute. Te cum conjugē et filiolo valere opto. Vale. Misenae III. die Octobr. MDL.

G. Fabricius.

Ornatissimo viro, integritate et doctrina praestanti D. Volfango Meurero, Medicinae doctori et Philosophiae professori, amico suo praecipue observando. V. Octobr. 1550.

1551.

LXXVI.

S. D. Elegantissimos D. Philippi Melanthonis versiculos Graecos curavi adscribendos, quibus te delectari scio, neque jam aliud quod mittam habeo, quo eliciam literas tuas. Kentmannum autem nostrum scito mutasse vitae genus liberum; desponsata enim ei est Madalena, Doctoris Sporeri filia, quam Anesorgus Consul educavit; quod matrimonium illi ut faustum jucundumque sit Deum precor. Hoc mense tam tristi casu percussus sum, ut vix alius in vita tristior acciderit. Valentini Hertelii filium optimum et studiosissimum adolescentem nosti. Is dolore animi et gravi cogitatione vexatus, quam paulo ante mihi aperuerat, e ludo discessit, illis frigidissimis diebus VIII. Cal. Febr., neque hactenus scire potui aut investigare, quonam iverit. Vereor ne in via somno victus, aliquot enim noctes male quieverat, frigore perierit. Scripsit ad me Adamus, rogant tutores, ut inquiram, sed hactenus frustra laborem sumpsi. Deum oro, ut eum mihi reddat, ut laudem in perpetuum misericordiam ejus. Te cum uxore et filiolo cupio atque opto salvere. Vale. XV. Cal. Martii MDLI.

Georgius Fabricius.

D. Georgio Fabricio et collegis.

*Χαίρετε ὡς λεῖστοι ἀρμόζοντες νεανίσκων
Τῶν Μουσῶν σοφίᾳ στήθεα ἡδὲ λόγοις,*

Καὶ πατέρων ἀγαθῶν βλαστήματα καλὰ τρέφοντες,
 Μὴ ποτε γίνεσθαι πατρίδ' ἔρημον ἐήν.
 Οὐδὲν τοῦδε πόνου γέρας ἄλλο τι κάλλιόν ἐστι
 Μᾶλλον ἢ εἰς ἀρετὴν ὠφέλιμον πόλεσιν.
 Χωρὶς γὰρ διδαχῆς θεὸς οὐ γινώσκειται ὀρθῶς,
 Χωρὶς ἐπιστημῶν καὶ βίος ἐστὶ σκότος.
 Ἀλλὰ μάτην πόνος ἐστὶ βροτῶν ἐν πράγμασι πᾶσι,
 Οὕριον εἰ μὴ ἄγοι πνεῦμα θεοῦ φρένας.
 Ἰλαος οὖν δέξαι ἡμῶν ὦ Χριστὲ δεήσεις,
 Σὴ χάρις ἡγέσθω θεσπεσίῳ πόνου,
 Καὶ σὺ διδασκόντων χορὸν εἶναι ὁμόφρονα ποίει,
 Ἐν τῇ ἀληθείᾳ ἡδὺ ὁμοφροσύνη.
 Δεῖ δὲ φιλοφροσύνην ἀλλήλοις δεῖξαι ἅπαντας
 Καὶ πέμπειν οἶνον τοῖς προσιοῦσι ξένοις.

Clarissimo et doctissimo viro D. Volfgango Meurero, Medic. Doctori et philosophiae professori, suo amico praecipue colendo.

LXXVII.

S. D. Ioannis Stramburgi optimi viri morte inopinata et subita vehementer territi sumus, de qua cupio ex te certiora audire. Certe ea tempora sunt et is status rerum omnium, ut, nisi quis suorum causa moveatur, propter mala impendentia, quae coelum et terra testantur, minime gravate relinquere hunc mundum debeat. De libellis meis nuper te rogavi; quod si otium est legendi Romam, intelligere opto tuam sententiam. In Itineribus multa mutata nec pauca adjecta sunt. Ultimum dicavi Valentino Gravio, ut singula singulis darentur amicis, et hic vir ita de me meritus est, ut recte inter carissimos ponatur, idque spero te quoque probaturum. Ad Vuerterum domum reversum nihil adhuc scripsi, scribam autem tum cum Romam et Charisium misero. Assuetus autem ille otio et quieti jam ex vicinia pene arma audit, et fautores ex illis Trebatiis paucos habet*) quamobrem et prudentiae et tolerantiae velis illi utendum erit. Si Lipsiam veniet, tecum in primis de suis rebus commentabitur, cujus narrationis me quoque facies participem. Lexicon Camerarii Graecum si editum est, item Plautus,

*) Apogr. Lips. *Trebarius*, supra scr. *Urbarius*.

mihi quaeso significa. Audio illum Noriberga abesse, graviter feret Stramburgi casum, quem plurimum amavit. Atque audi etiam meum. XIV. Cal. Aprilis certorum negotiorum gratia domum proficiscens in fossam aquae plenam cum equo cecidi, non minore periculo quam in Misa Piceni laborans, sed Deo volente et nuncii qui mecum erat ope eluctatus sum, equum vix servavi. Si ad D. Kentmanni nuptias veneris, plura inter nos loquemur. Vale feliciter, filiolo tuo precor salutem. Miscnae XIII. Cal. Maji, quo die vestra Academia amisit Mosellannum, eodem anno Ferrariensis Leonicenium. Ioannis Rivii filia desponsata est M. Alexio Praetorio, Miscni oppidi Pastori. Vale denuo. MDLI.

Georgius Fabricius.

Clarissimo viro, excellenti virtute, doctrina, humanitate D. Volfgango Meurero, Philosophiae et Medicinae Doctori, amico suo praecipue observando. XX. April. 1551.

LXXVIII.

S. D. Nescio qui fiat, ornatissime amice, ut tuis de honoribus prius certior fiam aliorum literis aut sermonibus quam a te ipso. Quamobrem etiamsi tu me caeles (celes), facere tamen non possum, quin tibi gratuler eum honorem, qui ut est in doctrina summus, ita in tua professione prae caeteris omnibus dignissimus, cum et ad animorum salutem spectet, et ad Dei gloriam totus dirigatur. Precor autem Deum aeternum ut tibi adsit suo spiritu, et te cum omnibus piis hoc misero seculo regat, conservet, tueatur. Spero autem te, quanto major futurus sis, tanto futurum erga amicos veteres amiciorem, id quod et natura facis, et jam facies doctrina atque pietate multo magis. Vellem me posse tibi declarare laeticiam animi mei, quae vere jam adsum, et adstare ac colloqui tecum videor. Reddita mihi est certa pecunia, quae clariss. Viro D. Zieglero debetur, eam ut cum his literis perferendam cures, te vehementer rogo: nolui oblatam mittendi occasionem dimittere. Romam meam quam editam scio, ad te misissem, ut te per veteres templorum, theatrorum, aedificiorum ruinas mecum ducerem, sed

ipse adhuc careo exemplari. scripsi vestris, atque etiam Vuitenbergam, credo fasciculum a typographo ad me missum aurigae in itinere excidisse. Unum mitte per D. Basenerum, ne omni alia spe deceptus hac etiam fallar. pecuniam a me recipies. Vale feliciter. Misenae ex ludo illustri XIX. Aprilis, quo die Academia vestra Mosellanum amisit ante annos sex et viginti. MDLI.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. integritate ac doctrina viro D. Georgio Zeeler, sacrae Theologiae Licentiato, domino et amico suo observando.

LXXIX.

S. Roma mea et Charisius Grammaticus sunt impressa: Romae priores paginas ad me misit Oporinus, de Charisio scripsit Episcopus. Romae duo exemplaria, totidem Charisii cupio mitti statim ad Adamum, ut curet liganda, quae Vuertero et Vuicelebio, quibus dicata sunt, donem: quicquid pro iis exposueris, restituam. Rogo ne graveris hoc onus in te suscipere. In epistola Romae praefixa ad Vuerterum nostrum tui mentio inest, qua te participem et socium meorum studiorum facio, quod, ut puto, bono animo accipies. Ultimum Iter dedi Gravio, ut omnes amicos praecipuos et bene meritos, in quibus ipse praeclare, eo libro conjungerem. Quod si tibi probavero institutum meum, probabo optimis et doctissimis. Vale. Scripsi subito. Die Ambrosii Misenae. MDLI.

Georgius Fabricius.

Clarissimo et doctissimo viro D. Volfgango Meurero, philosophiae et medicinae doctori, amico suo praecipue colendo.
VI. Aprilis 1551.

LXXX.

S. D. Omnino speraveram in Kentmani nuptiis te huc venturum, quas honorifice in primis, nullo insano aut inepto apparatu celebratas esse scito. Non caruit tamen dolore communis amici gaudium; nam sponsa ipsa morbo affecta male se

habuit, adeo ut statim a prandio vena illi incideretur, et ipsa gravibus cogitationibus vexata, nec in hunc diem plane libera. Pientissima et honestissima est, et Deus illi aderit. Multis cum gemitibus mihi conquestus est sponsus hoc malum, quod tamen Dei beneficio remittit, id quod hodie mihi narravit laetus. Hoc scribo, quia scio te desiderasse, ut de eo aliquid scriberem. Cum nuncio hoc locutus sum, ut aurigam isthic curaret, qui libros mihi adveheret a Curione et Oporino missos. Eidem dedi XVIII gr. Jordano pro vectura solvendo. Ago tibi ingentes gratias, qui mei causa istud susceperis, ut et pecuniam illi dares et libros ad te reciperes. De Roma expecto tuum iudicium liberum. Ad Vuerterum nondum misi librum, apud quem scio etiam latere literas ab amicis ad me missas. Argentorato plane nihil novi accepi. Sturmius ad me scripsit perhumaniter, qui Rhetorica Aristotelis ita cogitat hoc anno explanare, ut non solum φιλοσοφικῶς, verum etiam ῥητορικῶς praecipere videatur; neque ego desinam illi instare et hujus promissi commonefacere. De D. Camerarii adventu cupio a te fieri certior. Vale cum familia tota feliciter. Kentmanno scripsi epithalamium, curabo etiam vestra recudenda, propter vicium quod in illis inest. Denuo vale. Misena VI. Non. Maji MDLI.

Georgius Fabricius.

Clarissimo doctrina, virtute, humanitate viro D. Volfgango Meurero, philosophiae et medicinae Doctori, amico suo praecipue colendo. V. Maji 1551.

LXXXI.

S. D. Librorum meorum indicem, ut significant literae tuae, non accepi, neque de casu illo horrendo, de quo innuis, hic quidquam est auditum: non desunt hoc miserrimo tempore omnium scelerum et flagiciorum exempla. Kentmannus noster bene habet cum uxore sua. Scripsi ei Epithalamium et Gratulationem; quod si vacarent operae ad nugas nostras recudendas Valentino typographo, cum tuo et Badehorni curarem rursus edenda, et alia quaedam ejus generis carmina, quae petentibus amicis scripsi. Episcopii literas resignatas, parum refert.

Martio mense quas Argentorato accipiebam, omnes accepi apertas, cujus culpa vel libidine ignoro. De concilio si quid habetis, significa aliquid. Anglus venturus non est neque missurus ex suis quemquam: Gallus interdicto prohibuit omnibus regni ordinibus, ne quis intra sex mensium spacium fines suae ditionis egrediatur. Deum precabimur ut respiciat nostras Ecclesias, ne magis saeviamus invicem intestinis armis atque odiis quam hostes aperti saeviunt. Osiandri quaedam vidi. Deum immortalem quanta hominis superbia atque malicia! Jam comprobabat sermonem suum, quem audita Lutheri morte protulit, Leone mortuo animalibus caeteris esse nihil timendum. Lutherum metuit, et Deum vindicem non horret: gloriam quaerit, sed quam inanem, quam jejunam, quam putidam. Vale et me ama. Salutem opto filio tuo et familiae. Misenae ex ludo illustri VI. Idus Maji MDLI.

Georgius Fabricius.

Clarissimo et doctissimo viro D. Volfgango Meurero, philos. et medicin. Doctori, amico suo praecipue colendo. XIII. Maji 1551.

LXXXII.

S. D. Remitto ad te carmina, in quibus mala plurima, sed bona pauca: mea edam separatim, ne videar alienis scriptis meas augere chartas velle, praesertim in hoc seculo mimico et mimico. Inclusa est Conradi Gesneri epistola, in qua a tuis propositionibus, quas veri inquirendi causa publice disputasti, nonnihil dissentit: memini enim tuo rogatu me petere ab eo, ut iudicium suum libere et amice perscriberet. Habes igitur occasionem scribendi ad illum, et tua defendendi, ut hac mutua veritatis investigatione magnae amicitiae fundamenta jacciantur. Magis amo illius viri candorem quam hactenus, quod et ad me de amici iudicio scripserit et ita scripserit, ut non contendat, sed ut conferat. Verum hoc planius ex literis ipsius cognoscas. De Muslero nuper admonuisti; sed quis non malit abesse ab ejusmodi et consiliis et negotiis quam foco flammam addere. si enim vos non audit, nos audiet? Habuit hic

orationem coram pueris, quam ipse praedicabit. Vale et haec pro tua humanitate boni consule. VII. Cal. Iunii.

Georgius Fabricius.

Clarissimo doctrina, virtute et humanitate viro D. Volfango Meurero, philosophiae et medicinae Doctori, amico suo praecipue colendo. 29. Maji 1551.

LXXXIII.

S. D. Gorcium Senatorem et affinem tuum spero hoc tempore ex sententia negotium confecisse suum: puer ita a nobis tractabitur, ut et discipulus noster, et a te nobis commendatus. Ad Gesnerum scribam, quas literas cum fasciculo librorum mittam Papae, ut curet Francofurtum reddendas Froschouero Tigurino, qua ratione et tuas mittere, ut opinor, commode poteris. Quae nuper mihi narrasti, fateor, non parum me moverunt: verum erit dies, quo ipsos pudebit suae fidei, quam nullam praestant neque hominibus neque Deo, qui faciat ne impatientia aut ira reddamur segnes ad officia, quae Ipse imposuit nobis. Gratias ago tibi, quod ejus rei mentionem feceris in tuis literis, nam consilium defendendi me inieram et accusandi os improbum. nunc acquiesco. Librum, quem D. Goricio dedi, rogo ut Doctori Celeri reddendum cures eique gratias agas, quod et ipse faciam proximis literis. Expectatio fuit ingens, verum *ἀνθρώποις θησαυρός*, quae res movit, ut ipse Hymnos conscriberem, quos hoc die ad D. Philippum misi, quos, ut spero, proximis vestris nundinis leges. Lemburgum Silesiae oppidum tertia parte igne consumptum est IV. Non. Aug. duabus ante solis ortum horis. Vale Misena VII. Id. Aug. MDLI.

Papae defuerunt quaedam ad absolvenda Epithalamia, quae nunc mitto, serius quam petiit, non mea culpa, sed tabellarii, cui ipse literas credidit.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo doctrina, virtute, humanitate viro D. Volfango Meurero, philosophiae et medicinae Doctori, amico suo praecipue colendo. X. Augusti 1551.

LXXXIV.

S. D. Spero et libros et literas ad me allatas Francofurdia esse, quae Ioan. Mordesium a te petet, ut huc transmittantur. id enim illi coram et literis mandavi*). Dissipatio nonnulla hujus scholae incepit fieri propter pestem, sed plus nocent huic oppido rumores vani quam morbi vis, quae ultra sex domos nondum invasit. non metuo magnum periculum ob hyemis vicinitatem, sed quid futurum vere sit, nescio. Nos, ut scis, locum salubrem habemus, et ludo interdictum est iis, qui ex oppido lectiones audierunt, exceptis iis, quos Pastor noster commensales habet, ex quibus etiam est Stephanus, affinis tuus, modestus et frugi puer. Petrejus me oravit, ut curarem sibi emi recentissimam editionem methodi Fuchsii. quaeso ne gravare id facere: pecuniam numerabit Mordesium. Recte conquereris de perturbatione horum temporum: Deus conservet suos, qui student verae religioni et concordiae. dissipet autem omnes hostes nominis sui tyrannos et hypocritas. Nihil novi habemus in rebus nostris, quae adhuc sunt in tranquillo et mediocri statu. Salutat te D. Chentmanus. qui mecum una omnia fausta καὶ εὐφρονα precatur familiae tuae. Deum oro ut tueatur omnes honestas et amantes sui familias, Vale feliciter. Misena Cal. Octobris MDLI.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo et clarissimo viro D. Volsfango Meurero, artium et medicinae Doctori et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo. 5. Octobr. 1551.

LXXXV.

S. D. Si vales cum tuis, ego valeo. Literas Argenterato expecto; quodsi accepisti aliquid, ad me mitte. Charisium impressum credo. si meus fasciculus nondum adest, eme exemplar et cum Figulo cantore nostro huc mitte, qui etiam de statu meo certiore te faciet. Si Virgilium meum excusum vi-


*) *Dissipatio - commensales habet* Reddidit haec Schreber. vit. Fabr. p. 135.


des, significa: item Gesneri opus de animantibus quadrupedibus. Proxime scribam plura. Ignosce brevitati et quod imponam hoc onus tibi. Vale feliciter cum filiolo et uxore. An der Kirnesh zu Meissen. MDLI.

G. Fabricius.


Ornatiss. et doctiss. viro D. Volfgango Meurero, artium et medicinarum Doctori et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo.

LXXXVI.

S. C. 

D. C. 

Catha - rinam col - laude - -



. mus.

Merito enim hinc exordior, et res fortasse omen habet. Donum enim, quod ex solenni tui Doctoratus die ante menses plusculos ad me misisti, in die Catharinae demum accepi, Dresda ad me allatum. Quamobrem si hactenus gratiarum actionem expectasti, ea serior fuit non mea culpa, ut intelligis, sed aliorum. Serum tamen nihil est, quod gratum: et eo minus haec tarditas reprehendenda, quod mihi revocaverit non solum memoriam tuae virtutis, eam enim deponere non possum, sed etiam tulerit tuae benevolentiae fructum. Ago igitur gratias tibi, et quod in honoribus tuis mei memineris, et ejus etiam miseris, quod carissimis dari solet, monumentum. Musicus, ut scis, malus sum, alioqui plura cecinissem, praesertim ominis causa, vel tibi, vel mihi. Miraris fortasse risum meum in hac temporum tristitia. sed quid faciās? nisi putes dolorem dolore cumulandum esse, quod mihi non libet facere jam, nam

seria quoque egi mensem unum et alterum. Passionem enim Christi in certa tempora distributam, additis precibus ad historiam, tractavi carmine, et hymnos quatuor et viginti conscripsi. quem libellum nunc Papae vestro excudendum mitto, et tibi quoque cupio probari. me quidem certe et materia et tractatio ipsa plurimum delectavit. Vale et me tui studiosiss. ac veterem amicum ama. Misenae ex ludo illustri, die Barbarae. MDLI.

Georgius Fabricius.

Clariss. et doctiss. viro D. Georgio Zeler, sacrae Theologiae Doctori, et in Lipsiensi Academia professori, amico suo venerando.

LXXXVII.

S. D. Fraternal tuam de me sollicitudinem toto animo amplector, accepi enim ἀλεξιφάρμακον, quod ad me misisti, idque quomodo tibi reponam, non invenio. Ferreus non sum, et metu non fui vacuus, non solum mea causa, verum etiam eorum, qui mihi sunt commissi. Sed ut superiore bello Pater misericordiarum propter filium suum nos conservavit tutos, ita nunc novo beneficio excitavit in contagioso morbo fidem nostram, ut omnia bona ab illo et speremus et nobis promittamus. Quod beneficium ut porro confirmet, rogo atque obsecro assiduis precibus. Amen. D. Chentmanus librum suum recepit, et quia jam in aedes suas migrat, non scribere (l. scribere non) poterit. De hymnis nostris si impressi sunt, iudicium tuum exspecto. Novi nihil est, quod non illic sis intellecturus melius. παρόηλοι in hoc oppido visi cum iride XX. die Decemb. eodem die et hora, qua anno superiore captus Georgius, dux Megalopyrgensis. Misi ad Leopoldum Fribergensem adolescentem libros et literas, qui si absens est, et meas et Matthiae ad illum resigna, et per famulum tuum reddendas cura. Nihil erit mihi gratius, et ego tua caussa, quidquid imposueris, libenter perferam. Cum D. Philippo Dresdae fui, et multis illius doctissimis sermonibus sum eruditus, quem ut Reip. diu servet incolumem Deus, precabor. Vale feliciter cum uxore suavissima ac

1552.

filiolo. Matthias collega meus vocatur in inferiorem Saxoniam a Ion. Alberto Megalopyrgensi, honesto salario ad aperiendum ludum, et jam in deliberatione est. numerosam habet familiam et aere alieno opprimitur, et si certo statuerit secum, iuvabo illius commoda. Vale denuo. Misenaë pr. Cal. Ian. MDLII.

Georgius Fabricius.

Clarissimo ac doctissimo viro D. Volfgango Meurero Medico et philosophiæ professori, amico suo præcipue colendo.
3. Ianuarii 1552.

LXXXVIII.

Epist.
LXXXVIII.
cf. epist. ad
P. Eberum.

S. D. Rumore accepi Camerarium se comitem adjunxisse D. Philippo ad iter Tridentinum, certo tamen scire non potui. Audisse te arbitror me in Marcelli demortui locum Vuitenbergam vocatum: ad quam deliberationem libenter adhibuissem consilium tuum, ut semper solitus fui, sed mihi subitum fuit respondere ad Pauli Eberi literas. Recusavi autem certis de causis, quas tibi aliquando coram exponam: ad quas accessit etiam iudicium amicorum, ex quibus ne unus quidem mihi suavit, ut hoc tempore et illis, quae mihi proponebantur, conditionibus locum mutarem. Chentmannum nostrum filiolo auctum esse scito, τῷ Θεοφίλῳ, salva et incolumi uxore, quam piam et ex animo suo nactus est. Deum aeternum oro, ut det pacem his regionibus, et salutarem doctrinam conservet, ut etiam hi infantes ad ejus nomen prædicandum educari et institui possint. Quam multa tecum loquerer, optime et mihi observande amice, si simul essemus: saepe jam recordor non sermonum, sed vaticiniorum nostrorum, quae ambulantes, sedentes, dormituriens protulimus, cum in illas nostras familiares disputationes incideremus. Te et tuam familiam et omnium bonorum et bene sentientium precibus et gemitibus Deo commendo: nam te idem facere scio. Si novos tumultus humani generis et Ecclesiae hostis Diabolus excitabit, magna dissipatio et calamitates infinitae sequentur. Vale feliciter. Misenaë, die Oblationis Christi, qui cum lege non esset nocens, legis

minister factus est, ut nostra tolleret Dei damnata lege crimina. Anno ab ortu ejusdem MDLII.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. et clariss. viro D. Volfgango Meurero Medicinæ Doctori et philosophiæ professori, amico suo præcipue colendo.
5. Febr. 1552.

LXXXIX.

S. D. In Tragoedia dicitur, τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών, nec aliter facere nos possumus, quam ut publicam stulticiam feramus, et commendemus totos nos Deo assiduis precibus et gemitibus, quibus si unquam opus fuit, nunc est opus. Nihil autem mirum, poenas sequi tantum contemptum verbi Dei, cui nemo amplius dare aures vult, plena enim Germania est nunc Epicureorum. Spero autem castigationem istam piis futuram paternam, juxta Pauli dictum: Diligentibus Deum omnia in bonum operantur. Unde enim solatia petamus quam ex Dei verbo? Saepe nunc animo et cogitationibus sum tecum, dum recordor sermonum veterum, quorum Museum nostrum conscius est, et memini nos talia divisasse. Iam autem eo beatior sum, quod raro ad nos sermones perferruntur, et consolor me ipse quantum possum tractatione nostrarum literarum et cura muneris mei. D. Celero gratulor, quod multorum in Academia laborum fructum incipiat capere, quem etiam propter veterum consuetudinem atque humanitatem merito diligo. Faxit autem filius Dei, dominus noster, ut communibus studiis diu frui et ad ipsius laudem uti in salutari pace possimus, cui te, uxorem, filiolum, et omnes sanctas familias commendo, et posthac precibus non desinam commendare. Hoc die etiam mecum gratias age Deo, quod proximo anno me clementer conservavit, cum in fossam plenam aquae prope patriam cum equo inciderem cum maximo periculo. Vale. Misenaë XV. Cal. Aprilis. MDLII.

Georgius Fabricius.

Clariss. atque doctiss. viro D. Volfgango Meurero Medico et philosophiæ professori, domino et amico suo præcipue colendo. XXI. Martii 1552.

XC.

Pro V. ex-
cellentia
Fabricius
prius scri-
berat fru-
ctu.

S. D. Fratrum literas tibi redditas accepi, et epistolas Sturmii, quas legendas misisti, remitto. Teneor expectatione operis novi, cujus excellentia, virtute et liberalitate Vuerterorum omnes spe fruemur, donec copia illius data fuerit: modo Ἡρακλῆς Μουσῶν propicius adsit, non Mars ille μαινόμενος τρετὸν κακόν, ut Homerus inquit. Mirum apud nos de omnibus rebus silentium: et mira res atque inopinata coepta est. de qua latissimum colloquendi campum, si congregi liceret, haberemus. Jam in metu sum, ne schola nostra dissipetur propter pestem, quae in suburbiis grassatur. Deum oro, ut nos conservet, et qua usus in nos hactenus mirifice est, paterna clementia porro utatur. Abs te peto, nisi est molestum, ut ad me scribas, quo anno inchoata, et quo die solenni, ut fit, pompa schola Lipsiensis sit introducta, et quis Academiam primus suscepit regendam. Audio te filiola auctum esse, miror de ea nihil in literis tuis: eam mihi educabis. Deus pater Domini nostri Iesu Christi te cum familia tua saluum conservet. Scribo rarius, quia quid scribam nescio, sed cogitatione tristiss. temporum languidior fio. Vale. Misenae IV. Non. Iunii. MDLII.

Georgius Fabricius.

D. Georgium Zeclerum nullos adhuc fructus de suo canonicatu percipere intelligo, et jussus sum a D. Cămerario inquirere si quid viduae Zigleri, opt. viri, ab istis Harpyis posset extorqueri, sed nihil potui intelligere. Vellem auctor esses Fusio, ut ea de re ad Bennonem de Heinitz Seniore Capituli scriberet, de cujus voluntate, si quid effici potest, erga viduam non dubito. In demortui Kneutlingi locum cooptatus est Cummerstadius Ioannis filius. Denuo vale.

Ornatiss. virtute et doctrina viro D. Volfgango Meurero, artium et medicinae Doctori, et Philosophiae professori in Academia Lipsiensi, amico suo praecipue colendo. VII. Iunii 1552.

XCI.

S. D. Hodie dilapsa est schola nostra, decem fortasse pueris reliquis: nam Oeconomi ancilla aegrotare pridie coepit, nolimus itaque puerorum salutem certo periculo exponere. Cogitavi primum in patriam proficisci, postea visitare Vuerterum: cum quo libentissime sermones conferrem hoc tempore multis de caussis. Vindicat Deus contemptum verbi sui multis modis, fame, bello, peste: nec tamen adhuc homines desistunt male agere, pessimè cogitare. De pacificatione Passaviensi sparguntur rumores perobscuri: utinam salutaris pax esset, et viri principes cupiditatibus moderarentur. De Osiandri scripto amarulento contra D. Philippum audiui: accedit ad publica mala etiam illa pessima dissensio, quam excitat diabolus in ambitionis et perditis ingeniis. Haec ad te scripsi, non quod scribenda magnopere essent, sed ut captarem epistolae argumentum. Vale. Misenae XII. Cal. Iulii MDLII.

Ad XCI.
Perperam
Schreberus
vit. Fabr.
p. 135, qui
reddidit hanc
epist. usque
ad verba:
pessime co-
gitare, scri-
ptam eam
dicit Cal.
Iul. pro
XII. Cal.
Iul.

Georgius Fabricius.

*Ornatiss. doctrina et virtute viro D. Volfango Meurero,
artium et Medicinae Doctori, et philosophiae professori, domino
et amico suo observando.*

XCII.

S. D. Hodie scripsi ad Georgium Agricolam, ut si quid prae manibus habeat de peste et ejus curatione, ut id mihi significet, nihil enim intellexi de ea materia, quamvis mihi omnia sua communicaverit, etiam ad triginta usque libros quos scripturus est, praeter eos quos edidit, et duodecim de re metallica, quos editurus est. Responsum quod accepero, proxime intelliges. Rogo autem te, ne deponas de manibus tractationem tuam, qua multorum saluti consules, et eorum eruditorem, quorum morte tota Ecclesia saepe et universa Resp. jacturam magnam facit. Fructus vestrae artis, ut omnium rerum praestantium, non cognoscitur vulgo, sed plane est singularis, et praeclarum Dei donum. Munsteri morte doleo, et ad eum scripseram jam literas, et ei transmissurus eram quaedam

1553.

ad Historiam suam de patria nostra: quod nunc praetermitto. nam secundum Tomum Cosmographicum in manibus habuit, qui tamen si editus nondum est, hac aestate mittam ad Petrejum. Ad Gesnerum exiguum mitto fasciculum, tuis et D. Badehorni literis additum, quem ut cures Francofordiam mittendum certo cum homine, te oro. Rivius noster obiit Cal. Ian. morbo illo contagioso, quo et filium Paulum optimum adolescentem et uxorem pientissimam et neptim ex filia et famulas tres amisit, natus autem est anno MD. Cal. Aug. quem natalem cum D. Vito Vinshemio communem habet, et eodem die L. Valla obiit. Gratum mihi fuisset, si adjunxisses plura de te et valetudine tua atque tuorum: profecto enim si qua suavitas adhuc vitae, ea est ex jucunditate veteris amicitiae, quae fuit bonis temporibus. Audivisse te puto, Dabercusium hinc discedere, et quendam ex vestra Academia in ejus locum esse delectum audio, nescio tamen qui sit, nec causam video cur me caeleetur (scr. celetur) hoc negotium. Quisquis est, si illi curae sunt nostra studia et honesta educatio adolescentiae, Deo gratias ago, et illum ut aequalem atque collegam habebo. Quod si ad te delatum est aliquid, aut nosti optimi viri nomen, scribe ad me, et, ut soles, tuis me instrue praeceptis, ut pristina inter nos in hoc loco benevolentia et concordia retineatur, qua mihi nihil esse potest optatius. Si nuncius erit, literas mitte ad Iohannem Tetelbachium, pastorem nostrum Misenensem, aut ad D. Chentmanum. illi enim perferendas curabunt facile ex vicinia. Te cum tuis optime et diutissime valere cupio. Vale. Ruri ad Rederam V. Idus Martii MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo et doctissimo viro Volfgango Meurero Medicinae Doctori et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo. XXII. Martii 1553.

XCHII.

S. D. Misi nuper literas ad te cum fasciculo, quae num acceperis scire cupio. Volebam ea omnia Francofurdiam mitti

ad communes amicos. Cum igitur otium erit, ea me sollicitudine libera, nam cum nihil neque tu, neque D. Badehornus (cujus in aedes mittenda illa erant) cum Tomaeo rescripseritis, propemodum dubito redditas esse. Agricola nuper ad me scripsit, se editurum fuisse librum De peste ante Cal. Martias, nisi impeditus fuisset opere metallico, quod nunc cum picturis machinarum aliorumque instrumentorum absolutum Basileam misit. Praefixi elegiam omnium librorum quos edidit argumenta continentem, ita enim voluit. Te idem argumentum in manibus habere, illi significavi: causam etiam ex literis tuis ostendi, cur hactenus non edideris. Ipse sine dubio scribet ad te, et puto me non errasse in eo quod illum fecerim certiore. Exquisivit a me penè curiose, quis mihi retulerit de se, quod prae manibus illum librum haberet, fortasse ea de causa, ut inveniret cui laborem suum fructuosè inscriberet. De Tomaeo quid in illius negotio sit actum, ipse ex eo coram audies. Ego desidero redire in functionem meam. quod si fiet, saepius ad te scribam. Vale feliciter cum omni familia. Ruri ad Rederam X. Cal. April. MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. ac doctiss. viro D. Volfgango Meurero, Medico et philosophiae professori in Academia Lipsiensi, amico suo praecipue observando. 28. Martii 1553.

XCIV.

S. D. Proximas ad te misi Chemnicio, quas redditas tibi esse opinor. Si quid isthic literarum ad me aut librorum Francofurdia delatorum, cura ut ad me perferantur, spero enim me brevi Misena futurum: nisi fabri impedierint, qui jam aliquot aedificia demoliantur. Hodie autem sciam ex aula. Privavit me haec solitudo multorum amicorum literis, et cupio esse cum bibliotheca et frui laboribus literatis. Agricolam rursus cos. factum ex aliis audire potuisti. rursus impediuntur ejus studia, quod doleo. Librum de peste ante Cal. Aug. parat edere, et tibi eum ante editionem legendum mittet: superabit caeteros si

non copia, certe methodo, quae mihi penè exquisita videtur ex iis, quae legi. Tuas prolixas cupio legere, et essem ipse verbosior, nisi me scribendi argumentis privaret rus solitarium. D. Camerarium, si rediit, saluta, et Petrum quoque Tomaeum, ad quem quid scribam non habeo, donec ad nostrum tugurium ero reversus. Vale feliciter cum tuis. Ruri ad Rederam V. Cal. Maji: MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo doctrina et virtute viro D. Volfango Meurero Medico et philosophiae in Academia Lipsiensi professori, amico suo praecipue colendo. 11. Maji 1553.

XCV.

S. D. Deo gratias ingentes ago, qui me ad meum tugurium post asperam tempestatem incolumem reduxit: sed pueri adhuc impediuntur per fabros. Quaecunque de meis egisti literis, omnia perplacent. Acepi literas ab Oporino, qui libros aliquot commisit Iordani, terrae filio: sed adhuc nullam de iis paginam vidi. Sunt autem libelli aliquot Odarum et Hymnorum meorum. de quibus tibi sume, si in manus tuas pervenient, quae voles, et reliquias mitte. Theologorum nostrorum impressam confessionem cupio legere. quicquid exposueris, a me recipies. Papa etiam nescio quid meum excudit: sed nihil ad me perlatum est. Odi illud rus, quod me meis voluptatibus privavit. De Matthia nostro audivisti: sed quid faciam? melius convenit hyemi cum aestate quam mihi cum aula. Spernuntur literae nostrae, et nos cum contemptu ludificamur. Irasci nolo, et patriam non deseram, nisi deserar ab ipsa. Legatos Megalopyrgenses credo tecum iniisse amicitiam. Andream Mylium nosti: Iacobum Bordingum virum eruditissimum vellem pervovisses. Jam solus sum in purganda bibliotheca mea, ideo et hae literae sunt pulverulentae. Obsecro te, cum vacat, prolixas scribe: remetiar tibi non modo versus, sed literas quoque. Lazarus Bonamicus et Paulus Jovius in Italia obierunt. De Vuesalio si quid certi audivisti, ad me perscribe, ac vale.

Misenae ex ludo illustri. In die Servacii, quem nostri rustici *den Nesper* nominant: vide etiam ruri doctior factus sum. MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. virtute et doctrina viro D. Volfgango Meurero artium et Medicin. Doctori, et philosophiae in Lipsiensi Academia professori, domino et amico suo praecipue colendo. In der Peterstraß beym Süßemilch wohnhaftig. XVIII. May 1553.

XCVI.

S. D. Aurigae Laurentio Leopoldi supellectilem apud te depositam eamque poscentem (?) trade, et cum eo scribe, si quid quod scribas habes. De valetudine amici nostri D. Celebris vehementer doleo, et Deum precor, ut eum Academiae conservet. Fratrum literas quod misisti, pergratum mihi fuit, quamvis ego recentiores habeo: Blasium audieram mortuum, sed rumorem spero falsum. Ioannes Sturmius propter pestem e domo sua ad Sapidum migravit. Lectionem Petri Martyris Theologicam nunc habet Hieronymus Zanchus Bergomensis: sunt ex ea familia noti scriptis Basilius et Chrysostomus. Valde, ut audio, diminuitur (scr. demin.) Argentoratensis ludus. Mei pueri cotidie recolliguntur. Sed quid dicam tibi, optime Volfgange, dicam in aurem, nec cuiquam communices volo. Est munus quoddam isthic inter scribas senatorios, ut audio, quaestuosum, ei me voluerunt esse praefectum nonnulli: vel ut me ludibrio exponant, ita enim ego interpretor, vel ut hinc specie honesta amoveant, quod minus etiam intelligo. Delati sunt ad me certi de eo rumores a fide dignis viris: sed ego rideo iudicium eorum hominum, qui me cum honestum esse velint, potius velint perdere. Quanquam haec omnia ab uno capite manant. Deum oro, ut me conservet in hoc vitae genere vel hic vel alibi, et ut custodiat a negotiis politicis, quibus nec natura nec ulla alia ratione possem praeesse. Haec in tuum sinum, ut eliciam aliquid vel consilii tui vel potius consolatio-

nis. Te cum tuis opto bene feliciterque valere. Vale, die sacrosanctae Trinitatis MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. doctrina et virtute viro D. Volfgango Meurero, Artium et Medicin. Doctori, et philosophiae in Academia Lipsiensi professori, amico suo praecipue colendo. Ultimo Maji 1553.

XCVII.

S. D. Accepi nuper fasciculum literarum, sed is nihil tui habebat praeter tegmen. Desideratur adolescens aliquis eruditus ac gravis in mortui Scheti locum, et a me petitur consilium. Pueri jam adulti sunt et auctoritate regendi; mihi narratum est de Iohanne Sekeruitio Vratislaviense, cujus etiam carmen non inelegans extat: eum tamen non novi nisi aliorum commendatione. Sed absque tuo consilio agere nihil volui, quamobrem rescribe ad me quamprimum, si quem habes aptum ad id munus et exercitatum in literis, tuam enim fidem et commendationem sequar, ut habeam etiam quid (scr. quod) respondeam illis qui Iohannis nomine laborant. Multa essent quae tecum loquerer, si liceret: orationem Alesii nuper habitam cupio videre. D. Celerem saluto, et opto illi salutem et incolomitatem, Vale, e ludo illustri Misenae Nonis Iuniis MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo virtute et doctrina viro D. Volfgango Meurero, Artium et Med. Doctori, et philos. in Academia Lipsiensi professori, amico suo inprimis colendo. IX. Iunii 1553.

XCVIII.

S. D. Tam miri, novi, et inopinati rumores ad nos perferuntur, ut horreamus, et quid nobis faciendum sit, nesciamus. Misi nuper libellos aliquot ad D. Vuicelebiu cum ipsius nuncio, quos me retinuisse vellem: sed quid querimur de levibus, utinam patria salva esset, quae nunquam in majus peri-

culum subito incidit. Rogo autem te, si nuncius ad te venit, ut mihi significes, quid de meis literis sit actum: et quod scribi potest, ad me et D. Chentmanum perscribe. Deum aeternum oro, ut avertat mala impendentia, et ut sensu peccatorum ac praesentia poenae adhuc amplectamur poenitentiam. Vale feliciter et aliquid cum hoc nuncio perscribe. Vale. XIII. Iunii 1553.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. viro, eruditione ac virtute praestanti D. Volfgango Meurero Medico et philos. in Academia Lipsiensi professori, amico suo praecipue colendo.

CXIX.

S. D. Binas ad te intra octiduum misi, sed adhuc responsi nihil accepi, non tua quidem culpa, sed ut divino tabellariorum, qui in expectando nescio morosiores sint an negligentiores. Si Vuicelebbii nuncius te domi offendit, significa, et quid spei sit de praeceptore adolescentibus mittendo. De apparatu bellico quae sciri possunt et debent, scribe aliquid: Deum oro ut a grassatoribus impiis patriam nostram defendat et bonam pacem gloriae nominis sui servientem restituat. Si locus esset literis inter arma, Papae mitterem excudendas Victorias coelestes, quas jam absolvi. In Italia de novis motibus audiui. Albani principis, qui inter Caesarianos duces primas tenet, regio a Gallis occupata. Hispanorum copiae rursus obsident Senenses, et Cardinalis Ferrariensis pro civibus propugnat. Caesaris filius Hispaniae rex cum firma classe Genuam venit. Novae sine dubio mutationes imminet, de quibus etiam tu ex astris judicare potes. Vale feliciter cum tuis omnibus, Misena XIV. Cal. Iulii MDLIII.

Georgius Fabricius.

Libros meos accepi, Oporinus scribit se mittere XX. exemplaria Hymnorum, sed nullum ipse vidi, nec ad me delatum est. Iordanis filius mihi satisfecit, quod totum beneficium de-

beo D. Badehorno. De valetudine D. Celeris aliquid adjunge.
Denuo vale.

Ornatiss. virtute et doctrina viro D. Volfango Medico et philosophiae in Lipsiensi Academia professori, amico suo praecipue colendo. XX. Iunii 1553.

C.

S. D. Iunii die XI. Vuicelebbi apud me nuncius fuit, cui etiam literas ad te dedi de paedagogo quaerendo: eas num acceperis dubito. Idem fasciculum habebat ad patronum, sed ve-reor in equites Marchianos ne inciderit, qui spoliarint. periissent mihi labores mei. Romam enim emendaveram rogatu Oporini, et adjunxeram alios duos libellos ex Antiquitatibus. Mittebam praeterea XX genera anatum ad Gesnerum, quae ab aucupibus didici, et nonnulla alia. haec non libenter perderem. De Celere videbo, ut aliquod amicitiae nostrae testimonium habeat, ejus morte certe vulnus accepi. Quod ad procuratorem ejus attinet, ex eo paucos ante dies audiui, XL. ni fallor thaleros esse reliquos illi solvendo, quos in morbo non misit, hoc ipsum scilicet expectans, quod accidit. Rationes fieri non potest ut videam, quas primum Neumanus principis nomine habuit, unde etiam Ziglero τῷ παναρίῃ annum stipendium solvit: postea ad Syndicum redierunt. Si novus collega huc venerit, vestri officii erit aliquem mittere simul, aut ad Syndicum citius etiam scribere, ut reliquum quod esse conjicitis ex acceptis rationibus, id persolvat, et in eo suum erga studiosos et doctos animum, quod semper fecit, amice declaret. Vale. Misenae VI. Cal. Iulii MDLIII.

Georgius Fabricius.

Clariss. ac doctiss. viro D. Volfango Meurero Medico et philos. professori, amico praecipue colendo. XXVII. Iunii 1553.

CI.

S. D. Victoriae meae Coelestes erunt fortasse octernium quatuor et dimidii: addam autem Absolonis quercum,

postea mittam Papae si vult excudere ante nundinas: sin minus, alii dabo. Festinationis meae causam habeo. Hieronymus Eisendraut Medicinae operam dat, et quantum intelligere potui, diligens tuus est auditor: is nunc impetrato ad longius tempus stipendio totum se dare ei studio vult. Qua in re si illum consilio iuveris, a D. Blasio Electoris Medico, cui conjunctus necessitudine est, singularem gratiam inibis, et adulescens ipse se gratum et memorem exhibebit: perspexi ejus studium et modestiam. Vuicelebius num adolescentem, quem ei commendasti, ablegarit, cum commodum est, perscribe. Agricola scripsit, se librum suum de peste ad te missurum, ut ante editionem legas, quod factum sit, nec ne, tu scies. Si legisti, expeto judicium tuum: ego integrum non vidi. Vale feliciter. Noticias antiquitatum hoc est, dignitatum Romanarum si isthuc inveniuntur excusae a Frobenio anno MDLII. eme mihi et cum primum potes mitte: quidquid exposueris, id reddam. Chentmanus te salutat, qui auctus est filiola. Vale denuo. Non. Iulii MDLIII.

Georgius Fabricius.

*Ornatiss. ac doctiss. viro D. Volfgango Meurero Medici-
nar. Doctori, et philosophiae professori, amico et patrono suo
praecipue colendo. XII. Iulii 1553.*

CH.

S. D. Querela tua de amico profecto non est injusta, et mihi accidit acerba. Navavimus operam quam petiit, nec aliter ego debui aut potui, et ideo ad te saepius scripsi, ut illi gratificarer, quoniam non unis literis me interpellavit. Alienam culpam, mi Vuolfgange, praestare non possum, et te merito irasci, fateor. Quod autem in me est, scripsi ad Vuicelebium, et ei exposui, quanto cum damno juvenis id fiat: quodsi consilium non mutabit, spero tamen effecturum me, ut amicus tuus, quem ei commendasti, nullo incommodo afficiatur. Doleo, et si coram essem, liberius illi loquerer, quam scribere audeo. Literas inclusas ei reddendas curabis, quam primum

certum hominem habebis. Vale. Misenae e ludo illustri, die Margarethae MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo et doctissimo viro D. Volfango Meurero Medico, et philosophiae professori, domino et amico suo praecipue colendo. 16. Iulii 1553.

CIII.

S. D. Recte dicitur in graeco epigrammate de furioso Marte, *οὐκ ἀγαθοῦς φείδεται, ἀλλὰ κακοῦς*. ita et nunc factum est. Conciones vestrorum, item D. Camerarii orationem libenter legerem, delector enim narrationibus de virtute, propositis in fortissimorum virorum exemplis. Scripsi et ipse hoc die epitaphium, quod Victoriis adjunxi. Eas velim primum tradas D. Camerario, deinde ab eo petet typographus. Morgensternus cognatus tuus in ludum nondum rediit, et si Musis ille valedixit, alius a Senatu patriae tuae est nominandus, ne aliqua negligentia priventur jure sibi concessio. Si ad tuos literas dabis, hoc ages, ut aut cognatus revertatur, si literas et studia persequi cupit, aut alius in locum illius substituatur. Expectatio autem adventus quia tardior est, et jam in tertium mensem profertur, putavi de ea re te esse faciendum certiore. Fribergum ivissem ad spectandam funeris pompam, sed D. Cumerstadius filios suos huc misit, qui in mea habitatione agunt, cum paedagogo. Scripsi ad Ph. Bechium jussu Oporini, ut libros, quos nondum accepi, isthic investiget. Eligendus nobis est Papae beneficio aliquis certus, qui non gravetur adferre quae committantur, atque etiam in tempore reddere: sumptus omnes libenter feram. Vale feliciter cum tua universa familia. Misenae e ludo illustri pr. Iacobi MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. et doctiss. viro D. Volfango Meurero, Medicinar. Doctori, et philosophiae professori, domino et amico suo praecipue colendo. XXVII. Iulii 1553.

CIV.

S. D. Ita judicabam modesto viro laudes modestas convenire, praesertim cum hoc tempore vanitatum plena sint omnia. Sed quia displicet tibi epitaphium, mihi placere non potest: colligam igitur literas tuas et condam aliud. Supellectilem Leopoldi accepi, et spem habeo me id intra octiduum posse Magdeburgum mittere. Libros ab Oporino hos uno fasciculo accepi, Nicephori historiam, Gemistum de virtutibus, Tragoediam Judae, Odas meas. Sed idem adhuc unum se misisse scribit, in quo fuerint Sententiae Gregorii Theologi, Cydonius de morte contemnenda, Hymni mei. Ipse ad me ita scribit: librorum a me excusorum unum atque alterum fasciculum mitto, quem Hieronymo Clementi Pr. F. Lipsiensi dedi, idque praesente Iordanis filio et operam suam mirabiliter pollicente. Haec ille. Admonendum censeo humaniter Clementem, si non meminerit, aut non accepit, non urgendum. Malo enim ferre jacturam quam contendere. Heri vesperi intra septimam et octavam gravi terrae motu est concussum hoc oppidum: visus autem ex eo genere est, quod succussionem vocant: residendo enim culmina aedificiorum movit cum fremitu. Haec naturaliter fieri, sed non temere scimus, ut historiae docent. Audivimus infantem flere ante biennium: proximo anno sanguinem in morbo sudavit mulier: et sunt secuta multa tristitia, pestis atrox et pugna cruenta. Utinam hic motus terrae majores animorum motus non portendat. Cum Reuschio, si est otium, rescribe: ac vale cum tuis omnibus. Misenaë XV. Cal. Sept. MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. et doctiss. viro D. Volfgango Meurero, Artium et Medicin. Doctori, et philosophiae in Lipsiensi Academia professori, amico suo praecipue colendo. XXI. Augusti 1553.

CV.

S. D. Audio te magno et justo dolore affectum ex subito morbo ornatissimi viri et nostrorum studiorum singularis patroni Doctoris Scheffellii, et tecum doleo iis viris aliquid triste accidere, qui adhuc Ecclesiis et scholis patrocinantur,

quod etiam Stramburgus dum vixit faciebat. Ultinam id ei diu licuisset facere. mira enim paucitas eorum, qui id agant, ut haec studia nostra aliquid dignitatis obtineant. Sed quid querelis opus est? A fratribus aut amicis caeteris si quid literarum Francofurdia allatum, eas Volfango Fusio cura reddendas, qui nostro bibliopolae dabit, ut in tempore accipiam. Ego jam nihil habeo literis dignum, et cum bonis omnibus spero atque opto, ut salutaris et diuturna pax Germaniae restituatur, et cum ea quoque publica morum disciplina, quae quidem ita extincta est, ut vix effigies retineatur honestatis atque veritatis. Paulum Manutium, utriusque nostri studiosum, audivi diem suum obiisse ex Brambachio: quam vellem eum rumoribus deceptum esse, ut falsa nunciaret: scribe si quid certi habes. Asconium ab eo editum si vidisti aut si isthic invenis, mecum communica. *)Ego jam manus admovebo Helenio Acroni, Horatii interpreti antiquo, in quo ope vetusti codicis plus triplo praestabo quam in Virgilii interpretibus est factum. Te cum tuis omnibus valere atque florere opto, et quia jam impediior, brevi ad te plura scribam. Vale. Misena in die Ss. Angelorum. MDLIII.

Georgius Fabricius.

Clarissimo atque optimo viro D. Volfango Meurero Medicinae Doctori et philosophiae professori in Academia Lipsiensi eximio, domino et amico colendo. 2. Octbr. 1553.

CVI.

S. D. Obsecro per Deum immortalem, quid futurum est de Ecclesia, de Academiis, de patria denique nostra? maxima enim ejus ornamenta, Ecclesiae et scholae quo nunc sunt in precio, vel in quo non potius periculo? quid contemptius et vilius nobis, qui secundum Deum hominibus maxime servimus? Haec nostras colloctiones et deambulationes desiderarent, si coram fieri posset. Docent Borussia et Marchia, quid nobis brevi sit metuendum in doctrina salutis: et utinam non essent

*) *Ego jam - est factum* Reddidit haec Schreber. vit. Fabr. p. 207.

in nostro grege novi hypocritae pontificii, qui eludunt meritum Christi nescio quorum operum necessitate, primum blandientes auribus commodis verbis, et utentes autoritatibus bonorum, ut mox evertant et bonos viros, et non longe post ipsi concidant, ab iis ipsis irrisi et deserti, quorum nunc potentia nituntur. Dici non potest quam doleam et publico nomine et eorum qui nobis sine causa adversantur, qui Curios simulant, nosti caetera. Actum nuper mecum est, ut plus cantionum admitterem in scholam nostram, sed ne fieret obtinui: quamquam Portensis et Grimmensis mihi sunt propohita exempla. D. Camerarium ad vos non audio esse reversurum, quod si fit, jacebit totius Academiae dignitas: jam expulsum etiam audio Sarcerium. sed omitto ista tristia. D. Celeris epitaphium ad me remitte, cudam illi aliud. Nescio quid librorum Iacobi fratris isthuc allatum est ad Schetum, de quibus si quid habes significa. Debebam initio me excusare de tam diuturno silentio: sed primum mihi obstitit morbus, quo laboravi, deinde tabelarius, quare etiam hunc communi sumptu misimus Reuschius et ego. Vale feliciter cum tuis omnibus.

D. Brambachus fit affinis Chentmani, ducens sororem uxoris ejus, bellam virginem. Denuo vale. Misenae prid. Cal. Decembr. MDLIII.

Georgius Fabricius.

Clariss. doctrina et virtute viro D. Volfango Meurero Medico et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo.
V. Decembr. 1553.

CVII.

S. D. Philippus Melanthon hic dies aliquot nobiscum fuit, qui etiam querelas Academiae detulit ad principem et revertitur ad suos cum magnificis promissis. Doleo eo rem rediisse, ut talis viri auctoritas non statim permoveat. Hoc animi mei augurium est, lapsuras Academias, quod agit diabolus, ut per barbariem restituat supersticiones et alat sectas, quae jam cotidie augentur. Fasciculum librorum a D. Badehorno accepi. Morbus nuper subito me invasit cum dolore capitis et omnium

membrorum lassitudine ac tremore. causa erat catarrhus, quem excitaveram novo vino, quo tamen immodice usus non eram, qui eo minus delector propter firmitatem, quam hoc anno habuit. Sedecim diebus fores cubiculi non sum egressus: si quid habes, quo uti cotidie possim ad consumendos illos humores, qui capiti graves esse solent, mecum communica. Iis enim ita vexor, ut pomeridianis horis si acriter aut etiam continenter, quod mihi saepe necesse est, loquendum sit, in medio sermone vocem intercludant. Sedentarius sum et laboro mediocriter, et accedunt molestiae gubernationis, jam depravatis animis ac moribus hominum. Si quem nosti ex medicis, quem mihi legendum putes, ad me perscribe, et vale feliciter cum tuis omnibus. Misenae e ludo illustri XII. Decembr. MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. excellenti virtute et doctrina viro D. Volfango Meurero artium et medicinae Doctori, et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo. XIII. Decembr. 1553.

CVIII.

S. D. Munus honorificum optimi viri D. Georgii Celeris mihi gratissimum fuit, et erit mihi viva semper memoria amici defuncti. Scripsi epitaphium, in quo si quid mutandum existimabis, id velim mihi libere significes: intellexi etiam eum, dum Rectoris munere functus est, picturas de more loco insignium curasse effingendas in libro communi, quae si carent versiculis et tibi nostri placent, curabis addendos. Victorias te vidisse vellem, additas expositiones mihi interdum expressit ἡ νέμεσις, plerasque rei veritas, sed tamen a sensu historiae raro discessi, praesertim in ultimis. Morgensternus huc nondum rediit, et rediturum aliqui negant. Oeconomo nihil significabo, donec tuas accipiam aut de illo certo sciam, quamquam tempus jam esset reditus. D. Badehorno socius fui, quantum licuit. Vale feliciter. Misenae die Donati. MDLIII.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo virtute et doctrina viro D. Volfango Meurero Medico et philosophiae professori, amico suo praecipuo colendo.

CIX.

1554.

S. D. Quod tam amice tamque vehementer de mea valetudine sollicitus fuisti, dando etiam consilium fidele, ago tibi gratias ingentes. Vide autem quid mihi acciderit. Pillularum certarum drachmam unam scripserat D. Chentmanus, sed pharmacopola nescio an errore an negligentia quatuor drachmas dedit, quas ego deglutiens corpus cum ingenti dolore capitis adeo debilitaveram, ut vix pedibus consisterem. Dei tamen beneficio et precibus bonorum sum valetudini bonae restitutus. Invitas me quibusdam literis ad colloquium tuum, quod avide expeto, et captabo occasionem, si potero, ad mercatum verum, ut vos isthic visam. Multa sunt, quae tecum loquerer, quae literis nimis longum esset explicare: et is status est rerum, ea improbitas hominum, is contemptus omnis veritatis, ut mihi cotidie magis ac magis displiceat is locus, in quo sum, et nescio quomodo patientia indignitate ita mihi eripitur quasi e manibus, ut me eundem non agnoscam*). Habebam quem adhibebam in consilium Matthiam Dabercusium, habebam Ioannem Tetelbachium, quorum sermo suavis ac gravis multas mihi dempsit molestias, quod nunc demum sentio. sed quid te ango querelis meis? De institutione novi ludi quid sit futurum, nescio: instituetur certe, et quia cum nostro miscebitur, uterque corruet. Deus faciat, ut vates sim falsus. Jampridem ex te cognoscere volui, num Funcii Chronicon inspexeris, et tuum audire iudicium: commendari audio ob diligentissimam notationem temporum, et sine dubio ab Osiandro est collectum: qui quantumvis improbissimus, non ineruditus tamen fuit. D. Cameraarius non admodum bene est a nostro exceptus: sed ejus bonitatis fuit ea optime consulere. Vale feliciter. Tuam omnem familiam saluto et valere tibi opto. Misenae e ludo illustri IV. Idus Febr. MDLIV.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo viro, pietate, doctrina, virtute excellenti, D. Vuolfango Meurero, Medicin. Doctori et philosophiae professori, domino et amico suo praecipue colendo. 23. Febr. 1554.

*) Verba: *Habebam - nunc demum sentio* refert ex hoc ep. Schreberus vit. Fabr. p. 76.

CX.

S. D. Cum clarissimo viro D. Camerario nuper nihil scribebam, et D. Badehornus et publicis et suorum negotiis occupatus celerrime hac transiit. Quod ad superiores addam, nihil habeo. Monstrum Radebergi natum et ab ipso praefecto ejus loci missum ad me his literis inclusi. Blasius frater meus officinam Galonianam instaurat, et excudit in primam Philippicam Sturmii annotationes a M. Crusio collectas. Si paras aliquid de tuis edere, rogo ut ejus memineris. In Topica quae dictasti scio circumferri ita, ut multi et imperiti homines iis abutantur et tua depravent nimis intelligendo. Quamobrem necesse tibi aliquando erit et nominis et existimationis tuae gratia, illa aut edere, quod facile est, aut hos ineptos coërcere, quod fieri non potest. Sed si quid deliberatum habes, aut posthac deliberabis, et meo et Blasii nomine a te peto, ut illi exprimenda tradas, qui cum bonam eorum partem a te audierit, etiam in excudendo meliorem operam navabit. Cum hoc nuncio, si otium est, rescribe, et significa quo die vestri ad nundinas Francofurdianas ire soleant. Vale. Salutat te Chentmanus. Tibi tuisque precor laeta ac fausta omnia. Misenae die Hilarii 1554.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. viro, pietate, doctrina, virtute excellenti D. Vuolfgango Meurero,, Medicin. Doctori èt philosophiae professori, domino et amico praecipue colendo. 23. Febr. 1554.

CXI.

S. D. Gratias tibi ago ingentes, qui Valentinum Vuagnerum Transilvanum, eruditissimum hominem mihi conciliaris, cujus sermo mihi gratissimus fuit. Mitto fasciculum exiguum Francofurdiam, et has ad te paene fessus scribendo exaravi, si forte M. Fusius abesset, ut tu negotium susciperes et fideli

homini traderes cum literas tum fasciculum. Prolixior esse non potui, proxime plura. Misenae Cal. Martii 1554.

Georgius Fabricius.

Clarissimo virtute, doctrina, humanitate viro D. Volfgango Meurero Medico et philosophiae professori, amico praecipue colendo. III. Martii 1554.

CXII.

S. D. Quod mecum communicasti scriptum, id profecto tale est, ut possit nobis esse exemplum Christiani animi, verae fidei, constantis integritatis, et liberrimae patientiae. quod nunc per Iacobum remitto, et tibi singulares ago gratias, remitto etiam non sine causa exemplum tuum. Reddet idem tibi fasciculum literarum, qui est Matthiae nostro inscriptus: quem si per certum aliquem hominem curare potes perferendum, et mihi et illi rem admodum gratam facies. Romae meae, si excusa denuo est, exemplum dabit Iacobus, quae auctior jam est, et cui alii, ut vides, libelli accesserunt. Andreas frater meus si te convenerit, ut ejus nomine pro certa pecuniola spondeas, te etiam atque etiam oro, ne id facere graveris ad id usque tempus, donec primus nuncius oblatus fuerit, cum quo eam mittam. Sumptus et alia quaedam, quibus ei ad honores suos opus est, nuper accepit, et spem de Michaëlis consulis in se liberalitate concepit, qua si frustrabitur, tum demum rursus ad meam opem confugiet. Si quis liber singularis exierit, ejus mihi auctorem et nomen significa. Deus te cum uxore et liberis suavissimis conservet saluum et incolumem. Vale. Misenae die natali D. Camerarii. MDLIV.

Georgius Fabricius.

Clariss. viro, virtute, doctrina, huminitate praestantissimo, D. Volfgango Meurero, artium et Medic. Doctori, et philosophi professori, amico suo praecipue colendo. 15. April. 1554.

CXIII.

S. Quid quaeris? non possum probare amici nostri librum: neque unquam Lutherus docuit, quod ab aula inductus Major

coepit quasi novam sapientiam proponere. Harundines sunt, quae vento agitantur. Hoc certum est, quoties moveri coepit illa de necessitate operum quaestio, toties damnum datum esse Ecclesiae et imminuisse mutationem doctrinae. Quid aliud attulit apostata Vincelius? cujus liber quasi aureis notis apud vos olim edebatur, De bonorum operum ad justitiam simul ac salutem aeternam necessitate. Doctrina Lutheri perspicua est nec eget talibus, ut ita dicam, dispensatoribus, qui non e Christi schola exierunt, sed e lureconsultorum manicis exciderunt. Sed Deo gratias ago, qui Majorem noluit in errore manere, sed eum reduxit suo spiritu ad Ecclesiam, e qua paulatim speciosa hypocrisis AVLAE ipsum educebat. Habes et quid sentiam et quid doleam; et nunc angor vero dolore, quasi in me positum esset aliquid, scribo liberius ad D. Philippum et ad D. Camerarium. quam enim turpe est nos eorum subicere servituti, quos nemo domi suae ferre servos posset: et quod dolendum est, ipsos principes patriam ipsam in idem dedecus conjicere? De Celere puto me accusas, et merito facis: sed si Musae noluerint, extorquebo ab invitis. Quae in Topica Aristotelis es commentatus, ea ut a te petii, aliquando cum fratre meo communicabis, imo communicabis publice cum omnibus. Quod rarius jam scribo, aegre quaeso ne feras: sum enim factus ad scribendum tardior, et in Horatianis interpretibus mutilis et depravatis ex antiquo codice sarciendis emendandisque aetatem hanc consumo, et ad nundinas vix potero absolvere. Vale. D. Schurerum opt. virum meo nomine saluta. Misenaë, die Viti quo Misnenses ad Ausigam caesi anno MCCCCXXVI.

Georgius Fabricius.

Clariss. doctrina, virtute, pietate viro D. Volsfango Meurerro, Medicinæ et Philosoph. Professore, amico suo præcipue colendo. XVIII Junii 1554.

CXIV.

S. D. Duæ sunt picturae recentes Urbis Romae, Pyrrhi Ligorii Neapolitani: altera cum Fauni libro exiit MDLII. altera veteris Romae separatim anno LIII. illa minor, haec major est.

Alterius te Imperatorem faciam, cum primum exemplum a Vueris promissum nactus ero, quod indies exspecto. Faunus sua omnia transtulit de Marliano, nulla ejus mentione facta: et videtur impudenti scriptori barbarus contigisse interpretes. Ego Marlianum praefero omnibus. Jam quidam pollicetur nobis *παράδοξα* de urbe Roma, quae legere cuperem. Laurentius Grilius hic me convenit, cui literas ad Agricolam dedi, et metalla illi nostratia cum admiratione ostendi, quaedam etiam, imo quae voluit, illi impertii: fecit idem Chentmanus. Curabo quaedam emendanda in libello meo, quem ad Papae filium nuper misi: te etiam atque etiam rogo, ut ex literis inclusis ad ipsum tu emendes: nescio enim quam intelligens aut diligens ipse adolescens sit. Petrum Ramum scripsisse libros de Dialectica bonos et eruditos audio, quos si vidisti, significa mihi iudicium tuum. De tuis commentationibus cum erit otium, considerabis quid faciendum sit. Vale feliciter cum tuis omnibus. pridie Non. Iulii, quo die superiore anno Edoardus VI. Angliae rex veneno sublatus est.

Georgius Fabricius.

Clariss. et ornatiss. pietate, eruditione, humanitate viro D. Volfango Meurero, Art. et Med. Doctori et philos. professori, amico suo praecipue colendo. X. Iulii 1554.

CXV.

S. D. Quae hic acta de novo ludo sunt ad D. Cameraarium et Badehornum scripsi. in eundem cupit recipi adolescens Altenburgensis Andreas Craus, ut ex matre ipsius intellexi, quae rogavit ut ejus apud te causam agerem: occasionem igitur jam esse id faciendi, tibi subicere volui. A Papa rogo ut repetas meum libellum, quia verum non impressit et apparet adolescentem esse negligentissimum. Quia (I. Quum) otium erit, pluribus augebo, et tu si quid tractandum putabis, me admone. Abs te autem vehementer peto, ut Fusium adjuves in curandis iis, quae sunt mittenda Francofurtiam, plurimum enim mea et Chentmani interest. Hieronymus Helmud Proto-

Haec epistola non est in autographis, sed in apographis Lipsiensibus admodum vitiose descripta.

notarii filius quatuor thaleros tibi numerabit, ad quem inclusam schedulam mitte, ac vale. Misenae die Laurentii MDLIV.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. doctrina ac moribus viro D. Volfgango Meurero, Medicinae ac Philosophiae Doctori, amico suo praecipue colendo.

CXVI.

S. D. Fecerunt molesta scholae negotia, ne inter nos veteri consuetudine jucundius ac liberius nuper viveremus: sed molestia illa jam mihi crescit silentio D. Philippi et Cameraarii, qui ne verbo quidem me sublevarunt. Quantillum fuisset, Causam vestram egimus: bene sperate: sed fascinantur etiam boni. Quid dicam? loquar modeste, doleo. et aliquando Deus loquetur pro nobis, quem multi homines dormire jam putant, et ut Cretenses finxerunt, sine auribus esse atque manibus. Tu si quid audivisti, verbulo significa, vel si scribendum non est, Figulo committe. Rosbachius certe magnos patronos habet, quem etiam adulterum non passi sunt desertum vestri. Sed haec relinquo nec cogitatu jucunda, nec dictu, ut video, tuta. Valeant cum illo, qui illum ornant. Agricolae nostri libri de rebus subterraneis uno omnes volumine exhibunt ad proxime sequentem autumnum, libri ni fallor XXXV. luculentum opus: nunc colligit Genealogiam nostrorum Ducum, pro eo labore solvuntur ei thaleri ducenti. Crausii conterranei tui hic sunt recepti. Vale feliciter cum tuis omnibus. Misenae die DD. Simonis et Iudae, qui constantes veri defensores fuerunt. MDLIV.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo virtute, doctrina et humanitate viro D. Volfgango Meurero, Artium et Med. Doctori et philosophiae professori, amico suo unice colendo. XXX. Octbr. 1554.

CXVII.

1555.

S. D. Obsecro te mihi ignoscas, si scribo rarius, nec me ulciscaris silentio, cum tibi vacuum fuerit scribere*). Georg.

*) *Georg. Agricola - didici.* Reddidit haec Schreberus vit. Fabric. p. 240.

gius Agricola mihi aliquantulum temporis eripuit, qui nunc emendat libros de subterraneis, ut cum Metallicis uno volumine exeant: qui saepius quam antea ad me de multis quaestionibus scripsit, quas invicem tractavimus. Tu si quid habes quod observasti, rogo te cum ipso ut communices. Honori (scr. Honoris) totius Germaniae interest, eos libros esse quam absolutissimos, ex quibus ego et multa in natura et aliqua in arte disserendi didici. Gratias tibi ago, quod mihi Echtii conciliaris amicitiam, viri doctissimi, quem ut ad Agricolam iret hortatus sum, et eum literis accuratis dimisi, ut non tantum venas intueretur, quas fossoribus aperiunt operarii, sed eum virum, qui eas monstravit luculento scripto philosophis et medicis. Quod primum esse debebat, ut tibi, uxori, liberis auspiciis beati et quieti anni optarem, id nunc facio, et oro Deum ut nos omnes gubernet. Ad ludum quod attinet nostrum, mutatio fiet, Den man sagt, Roßbach zeugt abe, Daß habe ich vor acht Jahren gewußt. Iam laborat calculo, ideo nobis etiam meliora pulmenta apponuntur et conditiora. Quod si his frui diu cupimus aut optamus, ipse non convalescet: sed convalescat potius. Nova quae mihi cognita fuerunt scripsi ad D. Camerarium. Saluta meo nomine D. Alesium et compatrem Schurerum. Vale feliciter, Misenae XVI, Cal. Febr. MDLV.

Georgius Fabricius.

Clariss. et doctiss. viro D. Volfgango Meurero Doctori Medico et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo.
22. Ianuarii 1555.

CXVIII.

S. D. Quod rarius scribo, in causa sunt interdum occupationes, interdum argumenti inopia, quamobrem pro tua veteri humanitate ignosces mihi. Quod domum emeris, tibi gratulor: quod fama doctrinae atque diligentiae flores apud omnes, mihi non est novum, sed tamen delector, cum optata de te et digna virtutibus tuis audio atque cognosco. Literas tuis adjunctas et fratri meo Blasio intus inscriptas repetet a te adolescens Laurentius Leutenbecius, qui Argentoratum ibit: ideo autem a

te jussi petere, si quid cum eo scribere velles ad Sturmium aut alium quemvis amicum. Quaerit isthic comitem, cum quo id iter suscipiat, qua in re si adjuvare potes adolescentem bonum et verecundum, bene collocabis officium: si neminem ipse invenis, mitte cum tuo mandato ad D. Camerarium, cui etiam scripsi. Pontifex electus est Marcellus de monte Puliciano, patria Florentinus, Card. Tt. sanctae Crucis, sed hoc fortasse nosti certius. Inspectores Ecclesiarum hoc vesperi huc venerunt; Deus faciat ut pulchre et sancte procedat id negotium. Vale feliciter. Misenae III. Maji MDLV.

Georgius Fabricius.

Clarissimo viro, integritate, doctrina, humanitate praestanti D. Volfango Meurero, medicinae Doctori et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo.

CXIX.

S. D. Tibi tuisque bene esse cupio, mihi nunc est. Colonia nova hinc transfertur in Academiam, de qua re plura D. Badehornus. Nos etiam expectamus scholae nostrae statum meliorem, postquam Harpyiae manus rapaces amputantur. Pluracum res omnis certa erit. Vale. Subito. Cal. Sept.

Georgius Fabricius.

Clariss. et doctiss. viro D. Volfango Meurero Medico et philos. professori, amico suo praecipue colendo. III. Sept. 1555.

CXX.

S. D. Colonia nova huc deducta ad vos reducitur: noster ludus exhaustus et spoliatus constituetur. Adempta omnis auctoritas Commerstadio est, qui sibi prospexit, pinguis ut vitulus e rapinis scholasticis: qui cum nescio quid religiosi moliatur, cogitationes ejus malignas et consilium pravum dissipavit Deus. Audies autem statum omnem nostrum ex Thomaeo, teum oro ut libenter audias. Nihil mihi esset jucundius quam quum loqui: sed habes collegam meum, cui nota omnis causa est, qui me etiam in scribendo facit brevior. Vale feliciter

cum tua honestissima familia, et breviter aliquid rescribe. Misenae XXI. Sept. MDLV.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. egregia pietate, doctrina et virtute viro, D. Volfango Meurero, Medicinae Doctori et philos. professori in Academia Lipsiensi, amico suo praecipue colendo.

CXXI.

S. D. Matthiae Marco Dabercusio major natu filius et infans filiola mortui sunt. is superiore mense ad me literas dedit, et si quid rescribere vellem, ut ad te mitterem, mandavit, principis enim sui ministrum isthic postulaturum. Is igitur ad te si venerit, ei fasciculum ut tradas rogo: sin minus, ut ad me redeat curato. Facies gratum Marco et mihi. Editi sunt duo libri, unus Turingi cujusdam Marescalli de piscibus Baltici maris, impressus ante XXX annos Rostochii, alter Dubravii de piscinis, excusus Viennae, quos si nosti aut vidisti, mecum ut communicates vel prece preciove meos facias, abs te peto. Obtundor a Gesnero, ut illi quamprimum eos mittam. is brevi edet Aelianum de animantibus ex duobus exemplaribus Graecis, Moschionem Medicum *περὶ παθῶν γυναικείων*. Agricolae libri metallici an excusi sint, scire nondum potui. Vale feliciter. Misenae IV. Octobr. MDLV.

Georgius Fabricius.

Clariss. et ornatiss. viro D. Volfango Meurero Medico et philos. professori in Academia Lipsiensi, amico suo praecipue colendo.

CXXII.

S. D. Hieronymus Schein, scribae Misnensis frater, constitutum in hoc ludo tempus exegit, modestus et studiosus: is nunc dare operam medicinæ cupit. Auctor illi fui, ut te in primis audiat et D. Heuslerum, si quid in philosophia interpretetur. nam aliorum diligentia minus mihi perspecta est. Abs te autem peto, pro tua in omnes studiosos pietate et benevo-

lencia, ut illi consilio ne desis et privatum etiam praeceptorem monstres, quo utatur in discendis philosophiae initiis: privatim etiam quid tyroni legendum sit, indices. Si diligens erit et tui observans, augebitur sine dubio tua in illum voluntas, quae in omnes bonos et literatos eximia et liberalissima est: sin minus, etiam mea commendatio nihil valeat amplius, qui non minus admirator sum nominis tui quam otii studiosus, qui cotidie disco, quanta molestia sit improbus aut negligens discipulus. De Hieronymo autem spero optime, alioqui tam prolixus non fuisset. De meis exercitationibus sic habe, me jam emendare Odas et Hymnos meos: tu, ut utilia possim dicere, mecum Deum implora. Tabb.*) Grammaticas conficiam, ut Erythraeus Dialecticas ex Sturmii praeceptis collegit: multum autem laboro in eo, ut praecepta ab observationibus distinguam, et ut a methodo, qui (scr. quae) partitionis est, non recedam, et ut veterum vestigiis, quae ad usum nostrum pertinent, insistam. Cogor hoc facere tuendi muneris et existimationis meae causa, nam jampridem hanc sustineo calumniam, me nec scire nec tradere pueris grammaticam, idque e Cumis venit oraculum, quo tamen in oppido cives omnes decepit asinus simulator. Salutat te D. Hiobus, hospes tuus. Vale feliciter. die VIII. Octobris MDLV.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. excellenti doctrina, virtute, diligentia viro D. Vuolfgango Meurero Medicinae Doctori et philosophiae professori in Academia Lipsiensi, domino et amico suo praecipue colendo. 13. Octobr. 1555.

CXXIII.

1556.

S. D. Ideo nihil ad te scripsi tanto tempore, quia nihil literis dignum fuit ad te et amicū perspectum et hominem occupatum. si quid tamen a me peccatum est, mihi ignoscas, et cum vacuus eris cum a publico munere tum a negotiis pri-

*) *Tabulas Grammaticas.* Reddidit haec verba usque ad v. *asinus simulator* Schreberus vit. Fabric. p. 166.

vatis, repetes et ipse aliquando scribendi officium. Rogavit me amicus, ut prospicerem sibi de viro erudito atque modesto, qui cum quatuor adolescentibus Argentoratum studiorum gratia proficisceretur. Ego autem ex meis neminem habeo, ejus aetatis atque auctoritatis, qui illis adjungi posset. quamobrem si quis isthic tibi notus est, noti autem sunt boni et studiosi omnes, subjice mihi alicujus nomen, quem commendare possim. nam et de laboribus et de precio agent fortasse alii. Non autem ut nunc huc veniat aliquis opus est, sed cum tempus erit, et is, qui petere visus est, non mutabit animum: vel ipse scribam, vel auctor ero patrono, ut scribat. Christophoro Papae misi libellum scholasticum imprimendum, sed minime patrem imitatur veritate et diligentia. In ludo nostro versamur sic ut redivitis valde diminutis: sed qui nos spoliaverunt, imo qui detraxerunt Reip. et nudaverunt Christum in adolescentulis ac pueris pauperulis, adhuc calumniis et mendaciis nocent, more ac (scr. et) instinctu parentis sui diaboli. Oporino nunc mitto XII libros Carminum, quorum maxima pars antea edita, quidam auctiores, aliqui libri additi. Genealogiam domus Saxonicae ab Agricola inchoatam ego interpretari, nam germanice scripta est, et augere atque implere mandato Illustris Electoris jussus sum. tentabo et moliar, quantum potero, ut illud opus absolvam*). Te valere cupio atque opto. Vale. Salutat te hospes tuus Hiobus, et D. Christophorus. De Cometa, qui nunc apparet, quid iudicii tui sit, cum otium erit perscribere, atque vale. Misena IX. Martii MDLVI.

Georgius Fabricius.

Clariss. viro virtute, doctrina, humanitate ornatiss. D. Volfgango Meurero Medicinae doctori et philosophiae interpreti, domino et amico suo inprimis colendo.

*) ut illud opus absolvam. Hanc partem epistolae inde a verbis *Genealogiam domus Saxon.* dedit etiam Struvius Biblioth. Saxon. p. 307. not., ubi pro *interpretari* (quod ad sequens *jussus sum* pertinet) inepte scriptum est *impe-travi*.

CXXIV.

1357.
CXXIV.
Schreberus
exhibet
hanc epistolam
usque
ad cum
ipsorum benevolentia,
p. 239 scriptam
Non. April. a.
1357.

S. D. Georgium Agricolam novi prae aliis tibi tribuisse plurimum, et vir ille, qui judicare potuit, in hoc quoque suam prudentiam ostendit. Ejus cupio colligere epistolas, et ad me scriptae, quae aliquid doctrinae continent, sunt XXXVII. A te peto, quascunque habes mihi describendas mittas, ut liber ille fiat ornatior: agam etiam cum Ebero et Peucero. Si quos alios novisti, juva hoc propositum meum. Ab haeredibus non multa impetro: nec volo urgere, nisi commode id fiat et cum ipsorum benevolentia. Vale feliciter et tuos omnes saluta nomine meo. Misena Non. April., quibus ante annos novem pupillus factus sum matre mea mortua, qui etiam dies est obitus sororis Mosae. Vale denuo. Anno MDLVII.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo pietate, doctrina, humanitate viro D. Volfango Meurero Medicinae doctori et philosophiae professori, amice suo praecipue observando.

CXXV.

Ep. CXXV.
Initium epistolae usque
ad v. *Dei praesentiam in omnibus reddidit*
Schreberus
vit. Fabric.
p. 85.

S. D. Deo ago gratias pro immenso beneficio, qui mihi piam et modestam et placidam vitae sociam dedit: et praeterea alia adjunxit beneficia. nam et princeps sumptus dedit in nuptias mediocres, et honorarium adjecit pro non cupido homine magnum: nec defuerunt amici, qui me honorarunt, et imprimis Sleinicii nobiles, qui quoniam noverant mandato principis modum esse praescriptum, sua sponte fuerunt honorifici in me atque socerum meum. Quid multa? cognovi praesentiam Dei in omnibus. Scio autem te gaudere et gratulari mihi votis atque precationibus in hoc novo vitae statu, in quem ipse Deus me collocavit mirabili et mihi insperata providentia sua. Pro missis Agricolae epistolis tibi gratias ago: ex quibus quatuor delegi, quae ad institutum meum pertinent: eas enim tantum colligo, in quibus aut explicat aliquid aut exquirat. Haeredes ipsius invidi sunt nec mihi quidquam communicare voluerunt, nisi quod principis mandato nominatim facere sunt coacti. Raro

ad te scribo, quia occupatus sum, et scio nemini jam in Academia minus vacare legere inanes quam tibi. D. Camerarium ex me saluta reverenter, et vale. Misena die Margarithae MDLVII.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. ac doctiss. viro D. Volfango Meurero, medicinae Doctori, et Aristotelicae philosophiae professori in Academia Lipsiensi, amico suo inprimis colendo.

CXXVI.

S. D. Morbo gravi et periculoso te nonnihil liberatum, magna cum voluptate ex Fusio nostro intellexi, et Deo gratias ago, qui te pientissimum patrem uxori et liberis, optimum virum suae Ecclesiae, hominem doctissimum Academiae restituit. Fui in moerore propter morbum conjugis quoque meae nunc gravidae, sed et meam familiam atque domum respexit Deus, cui non possum satis gratus esse. ac profecto hujus morbi novi miranda vis fuit atque vehemens, qui veluti incendium corpora subito corripuit, quem qui potu restinguere voluerunt, aut se extinxerunt aut diu laborarunt: qui vero in diurnis nocturnisque continuis caloribus abstinerunt, evaserunt facilius, qua inedia secundum Deum uxorem curavi meam. Sed quid ego parum medica scribo ad medicum? Delector ope divina in multis magnis viris et bonis, ideo et manum Dei potentem et morborum magnitudinem censeo considerandam. Scriberem ad te saepius veteri consuetudine, sed omne mihi otium eripiunt Origines stirpis Saxonicae, neque puto opus esse literis ad tuendam amicitiam, quae violari nequit: nunc autem gaudium meum caelare (scr. celare) non potui, teque aeterno Deo precibus commendo, ut et tui te fruantur diutissime, et utatur Academia studiis, opera, laboribus tuis. Vale feliciter. Misena IX. Cal. Octobr. MDLVIII.

1558.

Georgius Fabricius.

Clarissimo viro, virtute, doctrina, humanitate ornatiss. D. Volfango Meurero, Medicinae Doctori et philosophiae professori in Academia Lipsiensi, amico suo semper observando.

CXXVII.

1560.

S. D. Pietatis puerilis librum secundum filio tuo Volfango inscripsi: quem tibi reddet Jacobus Strasburgus nomine meo. Meam voluntatem ut pro tua humanitate et nostra antiqua necessitudine acceptam probatamque tibi esse sinas, a te vehementer peto. Deum autem precor, ut amicitiam, quae inter nos multos jam annos fuit, propter studia bona propaget ad nostros filios, cum gloria nominis sui et nostra nostrorumque salute. Mea valetudo jam est confirmatior Dei beneficio et diligentia Căsp. Naevii. Goritius puer bonae est indolis et nos observat cum verecundia atque modestia. Quod raro scribo, tribue occupationibus. Saluto autem filium tuum, cui munus meum manu paterna traditum et commendatum erit gratius. Vale feliciter cum tuis omnibus. Misena e ludo illustri IV. Non. Iunii MDLX.

Georgius Fabricius.

Viro doctrina, integritate, humanitate ornatissimo D. Volfango Meurero, artium bonarum et philosophiae et medicinae Doctori, amico suo veteri venerando.

CXXVIII.

S. D. Ornatiss. vir D. Badehornus tuo nomine vehementer institit, etiam fratri suo scripsit, ut instaret mihi, quod ad proximas tuas responderem. Gratum igitur tibi tuoque filio jucundum fuisse libellum Pietatis puerilis, vehementer gaudeo: et tuum a te educari filium ad omnia pietatis et virtutis officia, nequaquam dubito. Si quid autem bono patri in votis esse debet, hoc unum est, ut relinquat liberis doctrinam de Deo et Iesu Christi Domini nostri merito incorruptam: caetera, quae hujus vitae sunt, regna, honores, divitiae sunt commutabilia, et earum rerum possessione multi depravantur, etiam sapientes et habiti boni. Gavisus sum nuper, cum traditus mihi est Fusii filius, et ideo gravisus, quia educabitur hic honeste, et discet elementa pietatis: quod si magnas reliquisset opes fraude partas, non tantum prospexisset suis, quantum prospicit Deus, pater et tutor pupillorum, quos ille in populo suo Magistratibus

et Regibus ita commendat, ut nullum genus hominum magis. In hac autem mundi senectute inprimis necessarium hoc studium, haec cura atque diligentia, veras comparandi opes liberis, quos ego esse judico pietatem et doctrinam. Haec ad te virum optimum et suorum amantiss. scribo, quia ipsa me cogitatio delectat, et quia video paucos pie sapere aut serio affici, ut cum Christo sint divites. Ignosce autem huic disputationi meae et vale cum tuis omnibus feliciter. Vale. Misena XVIII. Iulii MDLX.

Georgius Fabricius.

Iacobus tertius filius mihi nascitur pridie Idus Iunii primo quadrante post horam sextam pomeridianam*).

Ornatiss. virtute, doctrina, humanitate viro D. Volfgango Meurero artium et medicinae Doctori et philosophiae professori, amico suo venerando.

CXXIX.

S. D. Deum aeternum oro, ut te Academiae, tuae familiae, amicis nobis diutissime servet incolumem, mei etiam dolores capitis jam redeunt diebus singulis. Pro munere uxori meae misso agit ipsa gratias ingentes, et ego perpetuo tibi gratus ero pro multis et antiquis beneficiis. Mater Goritii me non convenit, semel quaesitus fui in examine, unde exire non poteram. Indoles pueri bona est, sed sensus adhuc admodum puerilis. Cogitavit de mutando hospitio: sed in ea domo, in quam ipsa mittere voluit, uno die corrumpetur. quod autem me non convenerit, eam ob causam bene factum, quia adduxisset illius domus matremfamiliae, meam affinem, coram qua non potuissem dissuadere, aut certe significare sententiam meam. A te igitur peto, ut matri pueri dicas, me scripsisse de filio ad te bene valente, diligente, et bono, talis enim revera est, et si quid habet, quod queratur, ad me libere deferat. Locuta est ipsa de conducenda hic domo, ut esset cum filio, qua re facile suam maternam facilitatem declarat. Quod autem

*) cf. Schreber. vit. Fabr. p. 87.

serius respondeo, id animo aegro ne feras, oro. Vale feliciter, die divi Martini Turonensis MDLX.

Georgius Fabricius.

Viro doctissimo, pietate et humanitate excellenti D. Volsango Meurero, Medicinae Doctori et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo.

CXXX.

1561. S. D. Jacobus Strasburgus amicus et affinis meus rem mecum honestam et seriam locutus est et meo uti consilio voluit. Laudavi animum, probo institutum, et bene precatus sum ipsi, et precabor Deum, ut res ipsi succedat salutariter. In primis gaudeo ipsum sequi consilium tuum, viri pii et prudentis: gratulabor tibi et illi brevi. Noluit ad te venire sine literis meis, quas et dedi non ut tibi commendem virum, per se omnibus commendabilem, sed ut tibi significem mihi maximae laetitiae fuisse, quod per eum nominabimur posthac affines. Vale feliciter. Misena XIV. Aprilis MDLXI.

Georgius Fabricius.

1562.
cf. epist.
CXXXVII.

Viro clarissimo, integritate, doctrina, humanitate excellenti D. Volsango Meurero, Medicinae Doctori et philosophiae professori, domino et amico suo observando.

CXXXI.

1564. S. D. Hodie prosecuturus funus optimae foeminae, uxoris D. Hiobi collegae mei, hospitae in bello civili tuae, recordabar earum ad te literarum, ad quas ante paucos dies respondisti. nunquam autem magis lactatus sum errore meo, quam tunc temporis, et utinam nunc totus errem in rumore continuato de obitu nostri Dabercusii. Talibus autem exemplis admonitus et in multa varietate valetudinis meae etiam ad illud iter me accingo, qui jam expleo annum octavum et quadragesimum, quique ab illo tempore, quo ex Italia venimus, nunquam carui laboribus et curis maximis: illos tamen sponte subii, qui otiosus esse nequeo, has mihi attulerunt tempora, quae

non tam varia tamen fuerunt quam ipsorum hominum animi. Voluptatem autem saepe capio et consolationem recordatione ejus amicitiae et consuetudinis, quae inter nos fuit et in patria et apud gentes exteras, nondum mutatis hominum mentibus et sententiis, quos tum auctores sequebamur, et optima sequebamur conscientia. Sed quid attinet querelas scribere? praesertim ad te, qui prudentior longe plura cernis et animadvertis. Gavisus sum libello tuo et recto de studiis salutis et de hominum doctrina iudicio, et vellem aliquando legere possem integros commentarios eadem prudentia conscriptos atque distinctos. Ignosce autem mihi rarius scribenti, nam certe raras aut brevissimas scribo, et in absolvenda Saxonica genealogia desudo: in qua mihi duae offeruntur maximae molestiae, quod auctores lego imperitos et barbaros, et quod nullum rerum ordinem invenio, nam temporum quoque ipsorum notationes pugnant: circumstantias actionum nullas habent, nullas explicationes consiliorum, quibus mihi in texenda narratione brevi maxime opus esset, igitur nihil difficilius mihi est, quam ut ita cohaereat narratio omnis, ut et legi possit et intelligi. Interea officium meum non negligo, et quasi fur quidam temporis celerrime se subtrahentis nostra studia provehere et ornare cupio, quibus ego magis delector quam scribendis Originibus, homo semper obscurus, nec ad ullius rei magnae consilium unquam adhibitus, ut aliquando sit infamiae futurum magnis nostris oratoribus, qui mihi rem tantam commiserint. mihi sat est ad voluntatem meam rectam tuendam, quod magistratui meo paruerim, fortasse non famae solum sed vitae quoque periculo *). Hanc si mihi concesserit deus, urgebo meum institutum et me Deo commendabo, et totus postea ero in lectione librorum Lutheri, qui nos viam salutis primus docuit, a quo nos etiam novisti dissensisse, nisi Italia nos docuisset. Sed haec reservabo nostris olim colloctionibus. Vale feliciter cum

*) cf. Schreber. vit. Fabric. p. 96. et Struv. Act. liter. fasc. VI. p. 5., ubi hanc epistolam reddendam curavit. Idem partem ejus a verbis: *Ignosce mihi* usque ad *sed vitae quoque periculo* exscripsit Biblioth. Saxon. p. 311. not.

tuis omnibus, et me ama amore veteri, nam novus nunc inconstans est. Misena e ludo illustri die XX. Aprilis anno MDLXIII.

Tuus ex animo

Georgius Fabricius.

Viro doctiss. virtute, eruditione, humanitate ornatiss. D. Volfango Meurero, philosophiae et medicinae Doctori, amico suo maximo atque praecipuo. 22. April. 1564.

CXXXII.

1568.

S. D. Gratissimum mihi est, Vir optime, officium tuum, et non minus gratum studium viri doctissimi Thobiae Theodori, qui Cosmae Pragensis chronicum mecum communicavit, quod etsi habeam e bibliotheca Academiae vestrae, tamen mens hominis prompta et mei cupida non potest non mihi probari, et curabo hunc ipsum librum cum manuscripto conferendum. Imprimatur nunc is auctor Pragae cum duorum librorum veteri supplemento, beneficio nescio cujus Abbatis. Si dabitur tibi scribendi occasio, Thobiae gratias ages, quem ego amplectar posthac semper. Expecto etiam D. Agricolae librum De putredine, cui vellem addere praefatiunculam, ut cum caeteris ejus posset conjungi operibus, quae adhuc excudenda sunt, sed id committo totum judicio tuo acri et exquisito. Quod raro scribo, tuis parco negotiis: de mea observantia erga te nihil detrahetur, dum vixero. Vale feliciter. E ludo illustri Misena, VIII. Cal. Iunii MDLXVIII,

Georgius Fabricius.

Ornatiss. virtute, doctrina, dignitate viro D. Volfango Meurero Medico et philosophiae professori praestanti, amico suo perpetuo colendo,

CXXXIII.

In proximis
epistolis an-
ni notatio
omissa est.
Schreberus,

S. D. Georgii Agricolae librum De putredine ad te mitto, Vir ornatiss., de qua materia cum non multi scripserint et morbus nautarum vulgatus sit, cuperem ut legeres et praefatione ornares et Voegelino dares edendum. Scripsi jam ad Ba-

sileenses, num opera ejus reliqua velint edere, et extorsi disputationem Schegkii adversus Agricola De ortu metallorum: nam contra Schegkium noster scripserat; ut duorum Germanorum doctiss. sententiae conferantur a studiosis philosophiae. Libellus autem quem mitto imperfectus est, quem si non editurus es, exemplum remitte. nam Illustris Electoris mandato est mihi commissum. Vale. Cal. Martii celerrime, cum scribere non destinassem..

qui hanc
epistolam
CXXXIII.
laudat in vit.
Fabr. p.
240., scri-
ptam diei
Calendis
Martii a.
1556.

Georgius Fabricius.

Viro ornatiss. virtute, doctrina, humanitate D. Volfango Meurero, Medic. Doctori et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo.

CXXXIV.

S. D. Vellem nos confabulari potuisse in nuptiis Schellenbergii, nam suavitas vultus, delectatio consuetudinis, jucunditas sermonis, libertas jocorum literis exprimi aut includi non potest. Filius viduae Goritii, affinis tuae, in numero eorum puerorum, qui sua in ludo Electoris pecunia educantur, opportunissime vivere potest, et quod ad sumptus attinet, et quod ad disciplinam. Verum id supplicibus ab Electore literis est petendum, qui quoties locus vacat, certior ab Oecono fit, ut alius nominetur. Consignantur autem nomina eorum, qui id petunt beneficium, ne locus diu relinquatur vacuus. Subinde autem fit, ut novi aliis succedant. Quod si vel vidua ipsa vel tu notum in aula amicum, de quo nihil plane dubito, habetis qui literas reddat et negotium urgeat, certissime impetrabitur; sed tempus certum, quo locus vacet, significari non potest, et etiamsi expectatio sit semestris aut annua, non tamen est inanis et supervacanea. Idem quod ad Thomam Crausium attinet, de stipendiis est faciendum: nam aperte fatentur consiliarii, id suae non esse potestatis, sed a principe suppliciter contendendum: mihi etiam interdictum, ne privatim ad ipsos de quoquam scribam. Testamentum illi quod soleo dare discedentibus perscribam, quod

literis, si quis ejus nomine supplicet, includat, et si videtur, jubebo adolescentem ad te excurrere, qui coram melius rem omnem exponet, ut et ipse ejus in literis progressus cognoscas. Meus filius laborat febre quartana, et noster medicus D. Christophorus paulatim revalescit, qui tertiana et octidiana laboravit. Mihi ex studio frequentiores capitis dolores et gravado in oculis: mane jejunium difficulter fero, sed jusculis offendor. Praescribe obsecro aliquid, non quo famem pellam, sed quo ita capiti consulam, ne vertigo mihi molesta rursus fiat, quam ante biennium aliquot mensibus sentiebam. Toto hoc anno nulla medicina usus sum nec conservante neque expellente: sola scarificatio contra dolores capitis medicina mihi fuit. Vale feliciter. Misena V. Cal. Novemb., qui est dies ortus Henrici III. Imp. obitus Alberti II.

Georgius Fabricius.

Ornatissimo viro, integritate, doctrina, humanitate excellenti D. Volfgango Meurero, medicinae Doctori et philosophiae professori, amico suo praecipue colendo.

CXXXV.

S. Literas quas ad me misisti, legi cupide, tibiue gratias ago pro officio. Vellem atque optarem hujus actionis aliam fuisse *πρότασιν*, haberemus enim laetiores progressus et minus timendos exitus. Doleo magis atque magis, quoties solus cogito, quantis ludibriis exposita sit patria nostra, praesertim si Iberia ascendet in aerumnam nostram, cujus mores novimus atque horremus, et ex animo atque omnibus precibus detestamur. Audio cotidie querelas, novae enim indies oriuntur injuriae ab iis, de quibus cum pessime sentiamus, ac merito, non possumus tamen ab illorum etiam copiis liberari. Sed nos liberabit Deus, et quicumque ejus causam vere amant atque tuentur. Hodie concionator noster, quem tu audis et admiraris, mandato Principis legit schedulam, in qua oravit, ut illi det victoriam ac triumphum contra omnes invidos atque inimicos sine sanguine. quod Christus faxit ut fiat, cognitis eorum insidiis.

quos ipse amicissimos putat fortasse. Ego quoque his diebus cecini hoc modo in meis ad Deum omnipotentem precibus.

Bella crudelia, famemque miseram, et læm
Morbidam ad Thracium iratus age Bosphorum,
Capita discordiarum tua dextera
Tolle, rursus boni fulgeant ut dies.

Philippica, de quibus scribis, vellem nos habere posse. Et librum quem proxime habuimus, propter illam precationem excellentem atque fiduciae plenam, rursus videre gestio. Equidem si diem certo scirem adventus tui, mane accederem, ut te una adducerem. puto enim mihi tantum libertatis futurum. Quod si fieri id non poterit, adferes aliquid a D. Doctore Zieglero consolationis, quem ut amicum nostrum diligimus, ut talem virum colimus, observamus, veneramur, cui ut me commendes, etiam diligentius te oro. Vale. De patria mea certi adhuc nihil scio, sed sciemus, si quid erit, statim.

Salutat D. Doctorem et te D. Laurentius Schroterus.

Egregia pietate et doctrina prædito viro D. Volfango Meurero, amico suo clarissimo.

CXXXVI.

S. Acepi schedulam de nummis Italicis, et gratias tibi ago, quod eam conservaris, meam enim amiseram. De doctrina dicendi librum a Sturmio inchoatum probo vehementer: scripsit in Aristotelis Rhetorica Danael Barbarus, scripsit modo, ut audio, Petrus Victorius, sed Sturmio talis dicendi magister est, ut facile credam illis futurum superiorem. Librum ejus de literata nobilitate vidisti, utilem et eruditum, et quem illiterati irrident, quorum aliquos audivi, docti oerte et intelligentes judices perpetuo laudabunt. Oeconomus noster nuptias celebrabit cum lepida et pulcra adolescentula III. die Junii, ad quas te cum D. Camerario invitatum audio, eritis profecto grati hospites illi, nobis jucundi. Quamobrem si per negotia poteritis, prorsus huc venietis. Petrus Ramus qualis animadversor sit, ex te coram audiemus. Has literas dedi M. Friede-

Ad ep.
CXXXVI.
Haec manifesto pertinet ad annum 1549; ejusdem enim est argumenti, de quo agitur in epistolis hujus syllogae LXVII. et LXVIII.

rico compatri meo, qui eas a me flagitabat. Vale. Misenæ XIII. Cal. Iunii.

Mense Aprili in una septimana apparuerunt XXIII irides Argentorati.

Lacus Constantiensis instar maris fluctuavit et supra modum exundavit.

Magister campi, ut nominant, qui ibi interfectus, frater fuit Ludovici Vivis.

Foedus inter Helvetios, Gallos, et Venetos percutsum.

Musculus est Romae, Brentius Mompelgarti, Bucerus et Fagius Basileae. Haec nova in literis ad me fuerunt.

Georgius Fabricius.

Ornatiss. viro, doctrina et virtute excellenti D. Wolfgango Meurero Medico et amico suo praecipue colendo.

In codice mscr. Gothano nr. 212. p. 171. praeter illas, quas maximam partem ex autographis reddidimus, hanc invenimus Ge. Fabricii ad Wolfg. Meurerum epistolam anno 1562. Misena datam:

CXXXVII.

D. Wolfgango Meurero S. D. Temporis officium solatia dicere certi est, Dum dolor in cursu est, dum petit aeger opem. Haec dieit poeta, qui solatio eguit, et me monuit, ut omni praecisa mora nunc ad te scriberem. Accepisti, vir optime, vulnus ingens, quo tristius esse in vita nullum potest, sed accepisti non ab hoste, sed a patre coelesti, in cuius potestate et nos viventes sumus, et in cuius manu etiam in terra conditi quiescimus. Talia vulnera senserunt Abrahamus in raptu, quod morte gravius est, Jacobus utrumque et ignominiae in Bilha et mortis in Rahel. Haec si cogitare potes, saepe enim nostra imbecillitas tales cogitationes non admittit, jam consecutus es aliquam consolationis partem. Rursus te ad auctorem vulneris tui revoco, qui omnipotens est. nam quos vulnerat, ipse curat: quos ex hac vita caduca vocat, ipse solus ad aeternam revocat, et nos spiritu suo ita dicere docet, atque et gloriosam illam (leg. atque ad gloriosam illam vocem) solus

compellit: Credo carnis resurrectionem et vitam aeternam. Haec est meta nostrae fidei, propter hanc spem Paulus Apostolus jubet nos modeste dolere, ne videamur abjecisse spem vitae sempiternae, quod gentiles faciunt. Ornabimus igitur nos inter nos, videbimus nos inter nos, idque fieri non potest nisi per mortem: nec coelo ascendet quisquam, antequam deponat carnem, nec filium Dei intuebitur, antequam exuat peccatum. Nos igitur miseri sumus in carne, in peccato, in mundo: nostri omnes ex hoc carcere filii Dei manu educti jam libertatem beati et felices suam praedicant, et nobis eandem exoptant. Haec scio tibi subjici primum a spiritu sancto, qui in afflictionibus petenti deest nemini, quique ut honesti tibi amoris auctor fuit, et sanctae inter nos conjunctionis et foederis suavissimi conservator: ita tui desiderii certissimum futurus est et lenimen et consolatio. Intra annum spacium cognata funera pul-latus ter prosecutus sum, in quo squalore et luctu quae mihi in mentem venerunt, jam perscripsi. Sed quid facimus? nostrorum oculos premimus salva ecclesia, patria, parentibus, liberis, fortunis, bibliotheca, Dei immenso beneficio. Quodsi nunc intuearis Galliam, regnum olim florentissimum, ista omnia simul uno die eripiuntur cum scelere et crudelitate viris optimis et innocentissimis: ut nobis in dolore, orbitate, solitudine gratiae etiam agenda sint, quod ea bona reliqua maneant, propter quae nostram nostrorumque vitam etiam ultro exponere periculis extremis deberemus. Nolo esse prolixus, quia tu vir pius et sapiens es, et ita mihi ab adolescentia cognitus: neque possum esse verbosior, quia currere mihi in illo curriculo videor et ex carceribus longo spacio progressus esse. Liberos nostros Deus ille omnipotens, qui nos pauperes aluit et ornavit, non sinet esse desertos, hoc petimus et gemimus assidue: quodsi dubitamus, frustra et petimus et gemimus. Vale feliciter, teque et Christianum hominem et virum philosophum praesta. Misena e ludo illustri die X. Septemb. anno a Christo nato M.D.LXII.

Georgius Fabricius.

Ceterum Schreberus in vita Fabricii p. 18. commemorat epistolam Mscr. ad Meurerum IV. Cal. Decembr. a. MDXLVIII. scriptam, in qua *Iacobum fratrem singulis mensibus aliquid exercitationum suarum Argentorato ad se mittere referat, ferique suo istud jussu, ne reddatur negligentior*; p. 71. magnam partem dat epistolae Argentorati XI. Cal. Dec. MDXLV. scriptae, quam supra ad hunc annum apponendam curavi; p. 141. ex epistola quadam ad Meurerum scripta a. 1568. reddit haec verba: *et ego fero, ac me ipsum patientia, quam nullam in hoc munere didici, vinco*. P. 167. tenere se dicit epistolam ad Meurerum a. 1546. scriptam, cui adjunxerit Fabricius Syntaxin emendandam a Meurero, cum in illa falsa quaedam exempla posita sint in verbis imperandi et sequendi (scr. suadendi), quae inter scribendum festinantem fefellerint. P. 240. ex epistola Cal. Decembr. a. 1547. scripta haec verba laudat: „Totus fui et adhuc sum in libris Agricolae, quorum lectio vix credis quam mihi sit jucunda. Is jam inchoavit libros de restitutione ponderum et mensurarum; utinam in religione nobiscum sentiret et ex subterraneis extolleret mentem ad contemplationem auctoris earum rerum et meriti Domini nostri Jesu Christi, qui ut illum spiritu suo regat et papisticas et perniciosas opiniones evellat, ex animo precor.“

Ge. Fabricii
epistolae ad
Iacobum
fratrem.

Ad *Iacobum fratrem* quae extant epistolae his, quas ad amicissimum virum Wolfgangum Meurerum dedit Ge. Fabricius, commodissime adjiciantur. Primam a. 1548. scriptam, cujus partem a verbis *Desidero in v. t.* usque ad *multo usu parabitur* exscriptam reddidit Schreberus vit. Fabr. p. 18., totam invenimus in codice Gothano no. 212. fol. 164.

1548.

Georgius Fabricius Iacobo Fabricio Fr. S. Literas tuas accepi, quas vellem longiores fuisse, delectarunt me tamen, quod scribis te operam daturum, ut expectationi nostrae satisfacias. Desidero in verbis tuis proprietatem, cujus ratio habenda maxime est, eam tibi paries imitatione et diligentia. Ad imitandum tibi proponitur Cicero, optimum sane exemplum, quem si attente audies a praeceptoribus et sequeris eam rationem, quam tibi domi exposui, brevi magnos progressus cum laude et voluptate tua facies. In scribendo iudicio opus est; nec enim omnia, quae primo se offerunt, sumenda sunt, sed optima. Ea tamen quae sint, si judicare per aetatem non potes, utere nullo, cujus autorem idoneum atque elegantem non habeas, atque etiam, qui tibi ad imitandum maxime est propositus, Ciceronem (scr. *Cicerone*, ut p. 121. edidit Schreb.). Ita fiet, ut et Latine scribas et prudenter. Iudicium autem aetate et multo usu parabitur. Quod ad universa studia attinet, sic in

his versare, ut rem seriam et homine dignam et Christiano valde necessariam et Reip. utilem existimes. Quod si persuasum habebis, nullum tempus intermites, quin aut discas aliquid, aut te exerceas, aut cum sociis de literis loquare; id ut facias primum te oro, deinde te facere necesse est propter illud iudicium, quod tibi ab optimis viris et a patria ipsa tributum est. Reliqui apud te ex Tiballo et Propertio observationes, nunc etiam mitto ex Ovidio, quae tibi multa proderunt ad scribenda carmina. Cura, mi Iacobe, ut te saluum aliquando videamus et moribus atque literis excultum. A me omnia, quae a fratre expectanda sunt, et studia et officia expecta. Vale, et ut Deus studia nostra gubernet ac fortunet nobiscum roga. Ex Beuchlingo Turingorum 6. Cal. Octobr. 1548.

Eandem epistolam alio loco vit. p. 121. laudat Schreberus et verba eadem inde a v. *Desidero in verbis tuis* usque ad *Iudicium aulem aetate et multo usu parabitur* continuat; sed his aliam et maiorem partem adjicit, quae in codice Gothano, quamvis integram epistolam exhibeat, non leguntur, unde colligas, Schreberum in exscribendis et connectendis autographis, quibus utebatur, subinde negligentiores attexuisse, quae ex alia epistola repetita fuissent, id quod in maxima argumenti, quod tractatur, aequabilitate facile fieri potuit. Sunt autem haec:

„Retinenda ante omnes contra opinionem imperitorum in ludis literariis haec sententia est, vera, antiqua, necessaria, nihil scilicet in orationem improprii aut inquinati admittendum. Ut enim in vestitu populari, sic in communi sermone plurimum interest, ut apta et habilia omnia sint et consuetudini honestae consentanea. Militum vestes, quibus nunc femora tegunt, velis nautarum esse videmus laxiores et ita discissas atque laceratas, ut Absyrti aut Marsyae corpus, quod in fabulis est, mutilum laniatumque magis non fuerit: quam cum (?) in castris Turcicis militum captivorum corpora ad vestium formam fuerunt dissecta. Talibus similes sunt, qui oratione incompressa et dissoluta et absurda loquacitate delectantur, quam insuper deformant levitate atque ineptiis: quos stultorum militum fortunam experiri par est, ut aere diruti capiteque diminuti (scr. *dimin.*) e scholis perpetuo relegantur ad barbaros. Notis rerum propriis et cura verborum neglecta error et obscuritas nascitur; in oratione autem, in qua labefactatur varietas et implicatur intelligentia, quid loci relinquitur prudentiae? hac sublata, quid omnino inter hominem garrientem aut rudentem asinum est discriminis?

Fort. *quam-
obrem.*

Veterum sapientum hoc studium semper fuit, ut cum perspicue et diserte tum etiam cum ornatu animi sui cogitata afferrent.“

Doctissimam epistolam de lectione et imitatione Ciceronis, quam d. 9. Sept. 1544. ad Iacobum fratrem inscriptam *Elegantius Ciceronianis* subjiciendam curavit Georgius, alii loco nostri libelli assignavimus. Sed epistolae ad *Andream fratrem* d. 6. Iun. 1562. missae brevem mentionem facit Schreberus p. 96. Eam et ipsam in codice Gothano m. 212. inventam lectoribus reddimus.

Georgii Fabricii epistola ad Andream fratrem.
1562.

Georgius Fabricius Andreae Fabricio fratri S. Cum raras a te accipiam, hunc nuncium civem nostrum sine literis meis venire ad te nolui. Inter theologos *) nova subinde dissidia oriuntur, quia multi non quaerunt nec quaesiverunt, quae Dei sunt, sed quae sua. Recentiorum scripta non lego, contentus bibliis et interprete Luthero. Scire a te desidero de Iacobo nostro, a quo decimum jam mensem nihil literarum accepi. Tota nunc Gallia ardet incendio, et contentiones agitatae componentur armis, malo videlicet medio ecclesiae et politicae. Antonius Vuerbonius **) rex Navarrae propter dissensiones nostrorum ad pontificios se retulit; bellum triste et calamitosum futurum est, in quacunque partem cadet. Credo Germanos discessuros, ideo Iacobi etiam adventum expecto. Tua uxor num pepererit et quid pepererit, ad me scribe, mea mense Iulio Dei benedictionem expectat. De Neandro nostro, ut valeat, quid in manibus habeat, quos labores brevi prolaturus sit, diu nihil scripsisti. Velim autem hunc hominem sine literis non dimittas. Starckium et Mordicium nomine meo saluta. Vicinus tuus Spangebergius bonum librum scripsit *von der bössen Siebene*, qui si adderet de canonicis ociosis *von den faulen Friez*, qui nunc et in patu et in ecclesia devorant et regna et scholas summa severitate et contemptu, pulchrum profecto opus ederet, ipsorum templis et lustris, hara καὶ ἀρχὴ dignum. Vale feliciter. VI. Iunii Misena MDLXII.

*) Verba: *Inter theologos* — et interprete Luthero dedit Schreberus l. c.

**) *Antoine Bourbon*, pater Henrici IV.

[Ceterum idem ille codex Goth. m. 212. fol. 86. servatum habet testimonium, quod a Io. Sturmio Argentoratensi scriptum Iacobo Fabricio, fratri Georgii, h. l. reddimus. „Iacobus Fabricius, Georgii Fabricii frater, et cum fratribus nobiscum fuit, et post Georgii discessum nobiscum multis annis vixit summa cum modestia, diligentia, carus multis, nemini molestus, summa cum spe singularis virtutis et excellentis doctrinae. Et quoniam hujus vitae me testem esse vult, do ei testimonium diligentiae singularis, doctrinae tantae quantam ejus aetas et haec institutio requirit, probitatis praeterea omnisque virtutis. 22. Februarii MDLIII.]

Ioannes Sturmius mea manu.“

Cf. Schreber. vit. Fabr. p. 17. et nostr. p. 14., ubi cum Schrebero *multos annos* edidi, sed in a pogr. Goth. est *multis annis*. — De Io. Sturmio v. vit. Fabr. p. 43 seq.

His annectimus alia Sturmiana, quae in eodem codice invenimus ad Fabricii vitam et ad viros cum eo conjunctos pertinentia:

Paulo Manutio Ioannes Sturmius. S. Si de tua humanitate mihi dubium esset, non commendarem hos tibi ego, qui ipse commendatione egeam: sed plane non dubito, cum hominum motus sermonibus, tum scriptorum tuorum lectione: Itaque fratres duos *Philippum et Antonium Vuerteros* de meliore nota discipulos nostros commendo. Agerem de hac re pluribus verbis, si de tua bonitate, ut scripsi, mihi ambiguum esset. Rogo tamen, ut et hos amplectaris tua benevolentia, et mihi ignoscas sive ineptienti sive impudenti sive amanti; amo enim profecto horum et industriam et verecundiam et studia, nec dubito quin tu sis etiam amaturus, si tecum vixerint familiares. Vale. Argentorati. LIIII.

Ioannes Sturmius Petro Galandio. *) Conradus Dasypodius, qui has tibi reddit, patrem habet Petrum Dasypodium, meum in nostro gymnasio annis jam multis collegam, optimum virum, doctissimum hominem, mihiq; benevolentia et caritate conjunctissimum. Filius etiam ita patris insistit vestigiis, ut de eo spes nobis facta sit confirmata, futurum illum in illo exiguo Hesiodi numero τῶν πατρὸς ὁμοίων. Linguam tenet utramque Graecorum et Latinorum, si non sermone, tamen lectione, auscultatione, scriptione usurpatam cotidiana. Rhetoricis et dialecticis praeceptis bene instructus, Mathematicorum inprimis

*) In cod. scriptum est *Galandro*. Sed ille est *Galandius* (Pierre Galland), canonicus Parisinus, vir doctissimus scholae Parisinae, qui orationem scripsit de laudibus Francisci I., argumenta in Quintilianum al., mort. 1559.

disciplina. Hunc tibi ita commendo, primum ut patris optimi literarum et honorum (suppl. et bonarum artium magistri) adolescentem filium: deinde talem, ut, si vel domi in docendis tuis utare, vel aliis commendes, possis id facere absque ulla formidine reprehensionis, quorum si alterum facere poteris, rogo ut facias et eum vel commendes vel eo utaris domi, aut si ejus rei occasio non detur, tamen ei adsis et ope et auctoritate tua. Pecunia, si debet, si quid mutuum dederis, id tibi absque molestia ulla tua et absque mora et dubitatione quam primum cum indicaveris persolvetur. Frugi enim patrem habet.

Tribus Gansiis, alumniis nobilibus, in regendis studiis Afranis praeuisse Blasium Fabricium fratrem Georgii, memoravimus in vita Fabr. p. 13. Eandem curam ille administravit Argentorati sub tutela Ioannis Sturmi, cujus haec in codice Goth. extat epistola ad gentiles eosque, ut videtur, tutores Gansiorum data, et testimonium duobus Gansiis scriptum. „Ne potibus vestris Gansiis non visum mihi est utile paedagogum commutare, primum quia Fabricius (Blasius) satis idoneus est et morum probitate et doctrina, et studio atque diligentia: deinde quia morum in ipsis quaedam praeter aetatem et diuturnam consuetudinem convenientia est, et benevolentia magna, quae apparet. Utraque ista Gansii ipsi mihi confessi sunt, quos rogavi. De precio nihil volui constituere, neque Fabricius videtur aliquid petere: mihi tamen rectum videtur aliquid ei ad alimoniam promittere (fort. permittere), nam hujusmodi liberalitas exsuscitat ingenia, praesertim juventutis. Haec de Fabricio habui quae responderem, alia expectans quae a vobis mihi mandentur. Optabile enim mihi est facere, quod vobis sit gratum. Vale. Argentorati sexto Augusti MDLIII.

Theodoricus et Petrus ex nobili Saxoniae Ganziorum (Gans.) familia annos nobiscum paene sex fuerunt, per quod tempus non solum ut nobilitatem, verum etiam ut homines literarum studiosos decet, vixerunt cum condiscipulis, hostibus (leg. hospitibus), magistris, caeterisque civibus. Quod testimonium quoniam illis quos jam nominavi dant et ipsi meum postularant, quod mea sponte daturus eram, id nunc rogatus do libenter virtutis, honestatis, modestiae. Argentorati 22. Febr. MDLIV.]

Georgii Fabricii epistolae ad Paulum Eberam,
professorem Vitebergensem.

I.

1552.

S. D. Omnino spoliata est magno ornamento Academia vestra obitu Ioannis Marcelli: et ego orbatus sum amico suavissimo, id quod cum aliis officiis declaravit, tum binis literis ad me paulo ante obitum perhumaniter scriptis, in quibus cum de communi temporum miseria et nostrorum studiorum neglectione conquereretur, ita verba fecit, ut, quasi sublata spe emendationis, diutius vivere non optaret, animo scilicet praecipiens propinquam sibi ex his aerumnis liberationem, quae ut viro optimo expectata fuit, ita sine dubio est acerba multis, qui ejus doctrina et virtute et ad humanitatem et ad decus uti potuissent. In ejus autem locum quod tuo judicio et quasi sententia nominatus sum, in eo tuam benevolentiam minime mihi novam animadverto, ac quod ad meam voluntatem attinet, quam tibi perscribi requiris, de ea breviter sic habeto. Ab eo mihi tempore, quo judicium de rebus aliquod facere potui, propositum fuit tale otium, quod nec mihi inhonestum nec infructuosum aliis foret, ad quod etiam mihi talem facultatem parare conatus sum, qualem et mediocritas ingenii et tenuitas mea passa fuit. Cum autem nihil viderem, quod utilitates uberriores haberet quam viam disciplinae et virtutis monstrare multis, ad scholas ut sic dicam umbratiles me contuli. Nam et natura ipsa timidior sum quam ut lucem ferre ac sustinere multitudinis silentium queam: et iis etiam rebus minime instructus, quae et negotiorum magnitudini, de quibus scribis in literis tuis, ac opinioni ex nescio quibus indicis de me conce-

*) Ad ep. I. Hujus epistolae maximam partem dedit Schreberus vit. Fabric. p. 125. sequ. usque ad verba *honoris mei gratia*, sed identidem vitiose exscriptam. Totam epistolam et errorum emendationem debeo Cel. Frid. Jacobsio ex codice biblioth. Goth. nr. 123. fol. 135. repetitam. Ceterum cf. epist. ad Meurerum LXXXVIII.

ptae satis esse possit. Is praeterea nunc rerum mearum *) status est, ut loci mutatio novas mihi molestias et graves offensiones sit paritura. Quamobrem etsi vestram consuetudinem maximi faciam et societatem **) omnibus anteponendam censeam: tamen quod et naturae ingenique imbecillitas ac ipsa propemodum necessitas me hortantur, nisi et turpis et contumax esse velim, sequendum est. Tu itaque, optime ac doctissime Ebere, haec vere ***) et ex animo scripta ita accipies, ut soles, et quod antea in me provehendo fecisti magna cum laude mea, idem nunc in excusando et defendendo facto ages honoris mei gratia: pro qua fide et benevolentia tua omnia grati et liberalis animi studia officiaque tibi ostendere et referre sum paratus. Vale feliciter et me amore solito complere. Misenae IV. Cal. Febr. MDLII.

Georgius Fabricius.

II. Ex cod.

Goth. nr.

123. fol.

174.

1556.

III.

S. D. Tuas mihi literas legendas dedit M. Matthias: in quibus scripsisti de prodigiis, de quorum editione ego cogitavi nunquam. Sed quaecunque habui scripta atque picta, ante octiduum Lipsiam misi ad Guntherum bibliopolam, qui se et scriptorem et pictorem nactum dicit, et hoc exemplum picturae quod inclusi ad me misit. Mihi nec auctoritatis satis est neque iudicii ista scribendi, collegi tamen quae potui, quamquam jam per annos quatuor satis negligens fui, confisus diligentia aliorum. Misi hoc ipso, ni fallor, anno farraginem historiarum ad Calendarium, sed an acceperis dubito. Beutheri libros duos vidi ab Oporino impressos, sed nondum consideravi. Mihi autem otium quod fuit ereptum est, propter libros Georgii Agricolae de origine stirpis Saxonicae †), qui mihi et vertendi sunt et implendi. Studeo etiam reliqua ejus opuscula conservare,

*) *rerum mearum* Schreber. omisit *mearum*.

**) *societatem* Schreb. vitiose *sobrietatem*.

***) *haec vere* Schreb. *haec bene*, idem mox *excipies* pro *accipies*.

†) cf. ep. ad Meurer. CXXIII. et sequ.

quae ab ipso relictæ sunt, etsi hæredes asperi sunt, et ego sim (scr. sum) satis occupatus in munere meo. Cupis addere natalitium tuo libro *Τοῦ χαλκιδέως*, opinor ut Sejani aut Thurini, qui ut omnes homines decipiant sua simulatione, Deum certe non decipiant. Sed quod facis, non sine iudicio facies Vale feliciter. Misenæ XI. Cal. Iulii MDLVI.

Georgius Fabricius.

III.

Viris virtute, doctrina, humanitate excellentibus D. Paulo Ebero et Casp. Peucero in Academia Vitebergensi professoribus, amicis suis observandis.

S. D. Clarissimi viri. Obitu Georgii Agricolæ, Philosophi præstantissimi, magnum Respublica literaria damnum accepit. Nam ea adhuc in manibus habebat monumenta atque opera, quæ si sua tractatione absolvisset, magnam multis obscuris rebus attulisset lucem et intelligentiam. Ego autem cum ejus viri studiosissimus semper fuerim, libenter colligerem omnia, quæ ille reliquit, in quibus ejus diligentiae et doctrinae aliqua insunt indicia: non solum propter amicum, quem observavi et colui, verum etiam propter adolescentes studiosos, si qua inde ad ipsos perveniret non vulgaris utilitas. Hæredes Principis Illustr. mandato quaedam mihi ostenderunt, sed multa eos pressisse suspicor, vel non custodivisse: nunc autem ejus colligo Epistolas, quarum plurimæ ad me sunt scriptæ, et Wolfgangus Meurerus ad se scriptas mihi impertivit. Non ignoro cum utroque*) vestrum illi intercessisse scribendi consuetudinem; quamobrem si quid in Bibliothecis vestris est ejus generis literarum, in quo aut locos autorum explicat, aut suam sententiam exponit, aut vestra denique iudicia exquirat: per nostram amicitiam, per amici mortui memoriam vos rogo atque oro, ut libro Epistolarum addendum mecum communicetis. Si miseritis ipsa exempla, salva ad vos redibunt, idque ego mallet: sin

III. Integram hanc epistolam inseruit vitæ Fabricii Schreberus p. 240. seq. Extat in cod. Go th. nr. 123. fol. 180., ex quo emendatiorē reddimus. Ceterum cf. ep. ad Meurerum CXXIV. et CXXV. 1557.

*) Schreber. vitiose *utrisque*.

in ea re aliud est iudicium vestrum, modo aliquid mittatis, etiam acquiescam. Quanquam autem vestris ingeniis ac *) meritis in Remp. inprimis clari et nominati estis: tamen ad amplitudinem nominum vestrorum etiam talis viri amicitia aliquid est adjectura decoris. Valet feliciter et me, ut facitis, amate. Misena V. Cal. Maji MDLVII.

Georgius Fabricius.

IV. Ex cod.
Goth. nr.
126 fol. 539.
1558.

IV.

S. D. Reverendissime vir, domine colende. Atlanti non est opus onus imponere, nec me decet tuis negotiis pondus addere scriptis meis, praesertim sine argumento. Orellio novo sponso has dedi, observantiae causa, ut te salutarem: nam nec commendandi ipsum causa est, cui patronus es, et cui hactenus pro tua ingenti bonitate sponte bene fecisti; sed quia ille meus itidem est, tibi Viro clariss. gratias ago, quod ejus studia benigne hactenus juveris, et ut porro juves cupidissimum et tui observantissimum juvenem peto. Videor mihi morari te verbis, ideo hanc appellationem, quasi praetereuntis salutem, boni consule, et Ecclesiae bonisque studiis diutissime vale. E ludo illustri Misena VIII. Cal. Iunii MDLVIII.

T. P. reverend. observantiss.

Georgius Fabricius.

V. Ex cod.
Goth. nr.
123. fol. 189.

V.

S. D. Gratias tibi ago, vir optime, quod meas literas ad fratrem miseris: nam ejus causa plurimum sum sollicitus, quod pede fracto male curatus sit. Vincentius tui affinis filius erit mihi inprimis commendatus: patrem ejus hortare ut mittat lectisternia, quibus puer aegre caret. Audio datas esse literas ad clariss. virum D. Philippum, ut scholas visitet, a quo si impetrabis ut una cum D. Camerario huc veniat, facies nobis omnibus rem gratissimam. Ante aliquot dies Rabesteini, quae

*) Schreber. et meritis.

arx in silvis Schellebergianis sita est, non procul a patria mea, visi sunt in luna exercitus, equites cataphracti et armati milites, et cranium cum corona, quod primum mihi triste admodum videtur. Deus omnipotens id vertat in Turcas, quorum insigne est luna. Jesuitae Boemici jam omnes scholas occupant, et Pragmae suo stipendio privatus est Collinus. Male *) pereant, qui Ferdinandum non malum Principem in miseros pastores et Christi oves afflictas incendunt: perierunt autem pessimi aliqui, Henricus Neustadiensis episcopus se ipsum suspendit, Fridericus Viennensis veneno interiit, Urbanus Labacensis cervices fregit. Dedonis aulam **), oppidum in ripa Mosellae a Germanis, qui Gallo militant, ferunt expugnatum: evasisse fuga octingentos praesidiarios, reliquos occisos. Deus faciat, ut quam primum ad ipsum evolemus ex hac miseria. Vale feliciter. Misenaë, subito. XVI. Julii MDLVIII.

Georgius Fabricius.

VI.

S. D. Vir venerande atque optime. Deus, qui apud Prophetam loquitur: Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina, is adsit ministerio tuo, quod totius Ecclesiae et Academiae judicio tibi commissum est, viro integerrimo atque doctissimo, Deumque omnipotentem precor, ut in munere tanto sua benignitate te regat, honoret, tueatur. Puer propinquus tuus stragula accepit, sed ea citius, quam ego literas tuas: id quod nautae incuria accidit. Literas Argentorato accepi, et vestrum puto tabellarium nullas attulisse propter morbum fratris mei, cui una calamitate dempta nova semper accedit, quae nostrae naturae miseria et imbecillitas nos hortatur ut ad Deum respiciamus magis et vitam meliorem suspiremus. Hodie vidimus triste spectaculum civis nostratis, qui iratus uxorem interficere volens eam lapide in pectus per-

VI. Ex cod.
Goth. nr.
123. fol.
190.

*) Apogr. Mali.

**) Scr. Dedonis s. Theodonis villam. Urbs est Germ. Diedenhofen Gall. Thionville.

cussit, deinde arrepto gladio ei manum amputavit. De exercitiis in Belgio hic plane silentium est. In vicinia Carolovicii episcopo Misnensi mille et sexcentas abegerunt oves, in ipso certamine unus ministrorum globo trajectus: et ante mensem parum abfuit, quin ipsum episcopum cepissent, qui vere ἀμφίβιος est, nec suam religionem observans, nec nostram hoc est veram alens. Elector, quem ad Imp. novum accusavit, conivert: episcopus ivit Viennam. Quid secuturum sit, brevi videbimus. Clariss. viro D. Philippo salutem precor. Vale feliciter. Misena, subito V. Cal. Octob. M.D.LVIII.

Georgius Fabricius.

VII.

1559.

VII.Ex cod.

Goth. nr.

123. fol.

181.

S. D. Clarissime vir et amice venerande. Viarum credo difficultate fit, ut rari isthinc jam hic transeant: quae una causa est silentii mei, altera est occupationum (?), quod non te (scr. te non) interpellandum temere existimo, cum non subest aliqua causa. Iam mihi occasionem literarum dederunt honestissimi homines Schleinicii, qui filios sex, pueros bonos et studiosos, mittere ad vos decreverunt, perdiscendae pietatis et literarum gratia. Hospitium quaerit eorum praeceptor, quod si necesse ei fuerit uti consilio tuo, peto a te, ut id ei libenter impertias: mihi vero ignoscas, si importune postulo. Puer a te mihi commendatus ingenio valet, sed est admodum negligens: quare patrem adhortare, ut quavis occasione ei scribat, et officii admoneat, ego meum non negligam monendo et objurgando. Regis Daniae serenissimi, et Principis pientissimi obitus ante triduum hic nunciatus est, cujus similis nostro tempore in Ecclesia non fuit. Videmus hunc annum fatalem esse hominibus magnis et potentibus. Deus faciat, ut Ecclesiae novus iste sit tranquillus et salutaris. Vale feliciter. Misena die τῆς ὑπαπαντής. Anno M.D.LIX.

Georgius Fabricius.

VIII.

S. D. Reverende vir, Domine observande. Viro optimo D. Venceslao affini tuo, ut filium suum minorem huc mitteret, libenter gratificarer, si in mea aut Oeconomi esset potestate situm. Illustrissimi electoris mandato opus est, quorum tamen aliqua jam hic sunt, ut si locus fiat vacuus, alii substituantur, et Vincentio tuo, quem cum testimonio dimitto, pastoris Ruspensis filius succedit, qui jam ultra tempus annum expectavit. Filius affinis tui calcaribus eget, alioquin nec malus nec intractabilis: pater ipsius domi impeditus huc non venit, cujus mihi optata esset amicitia. Horis succisivis collegi et commentariolis illustravi poetas veteres Christianos, qui intra Valeriani et Mauritii Imperatorum tempora vixerunt, quorum collegi unum et viginti, et aliquot antehac nondum excusos intra mensem expecto. Totum opus perficiam spero hac aestate, nam festos tantum dies et profestum dimidium ei operae impendo. Placebit tibi certo scio summopere illorum sanctissimorum virorum sapiens et pius labor, quem ego exosculor, et non satior lectione. Pellemus e scholis Christianis Catulli et Martialis impudentes et scurriles imitatores, et Musis et Angelis applaudentibus. Si brevi edetur Calendarium tuum, mittam tibi paucula quaedam et fortasse non injucunda. Tuo affini me excusa quaeso, quod non scripserim; nam etiam oculorum dolor, qui me a Cal. Jan. vexat, permolestus est, et brevem in scribendo facit. Te Deo omnipotenti commendo. Vale in filio Dei, domino nostro et fratre nostro, diu et feliciter. In ludo illustri Misena, X. Cal. Maji MDLXII.

Georgius Fabricius.

IX.

S. D. Reverende vir, Domine observande. Notatio illa temporum, quae in scripto tuo instituta est, non solum multas utilitates habet, verum etiam magnam delectationem: quare non invitatus feci, ut illam accessionem tenuem mitterem. Catalogum synodi Tridentinae legi libenter, in quo neminem novi, qui ante annos viginti aliqua auctoritate fuerit, excepto Daniele

9*

1562.

VIII. Ex cod. Goth. nr. 123. fol. 133. Verba hujus epistolae *Placebit tibi usque ad Angelis applaudentibus* laudavit Schreberas vit. Fabric. p. 99. Excitavit etiam totum locum a verbis *Horis succisivis usque ad Ang. applaudentibus* Tenzelius in libro inscripto *Curieuse Bibliothec* etc. a. 1705. p. 360.

IX. Ex cod. Goth. nr. 123. fol. 134.

Barbaro Veneto, qui praeclarus est philosophus. Supellectilem Vincentii huic nautae commisi dardanario Magdeburgico: putavi a meo collega jampridem curatam esse. Res Gallicae in miserrimo statu sunt, et nisi compositione fiant sedatiores, imminet illi regno ingens et fatalis calamitas. Deus faciat, ne illo grassante incendio etiam vicini populi adurantur: nostras autem Ecclesias et Respubl. benignissime conservet. Vale feliciter. Misena e ludo illustri, die XIV. Julii M.D.LXII.

Georgius Fabricius.

Epistolarum, quas Ge. Fabricius P. Ebero scripsit, identidem mentionem fecit Schreberus in vita Fabricii, ubi p. 137. Sic a. 1557. VI. *Idus Octobris* ad Paulum Eberum ita scribit: „Habes Epistolam prolixam, quam in otio minime optato dictavi alteri. Morbus enim iste epidemicus, qui nunc grassatur et quem ignorant medici, me quoque detinet ab usitatis laboribus scholasticis.“ Haec est, quam infra dedimus sub numero XI. Idem p. 284. ubi agit de Ebero, viro Fabricio amicissimo, haec addit: „Ad hunc G. Fabricii Epistolae nonnullae in Bibliotheca Gothana servantur, unde Summe Reverendus et multorum in literaria republica meritorum laude excellens vir Ern. Sal. Cyprianus earum apographa ad me misit humanissime, cui pro voluntate ea debitorem me obstrictissimum profiteor. In earum una prid. Id. Januar. a. 1551. missa catalogum mittit Ebero prodigiorum, quae ab a. 1537. ad 1550. in aëre, terra et aquis sunt observata, Calendario ipsius addendorum. Cal. Febr. (scr. IV. Cal. Febr.) a. 1552. aliam misit, in qua Ioh. Marcelli obitum deplorat etc. (v. supra epist. I.) Rogat V. Cal. Maji a. 1557. Eberum et Peucerum, quos una compellatione alloquitur, ut si quid literarum Georgii Agricolae in suis Bibliothecis habeant, easdem secum collecturo velint communicare (v. supra ep. III.); in quodam a. 1558 die 16. Julii exarata Jesuitas Bohemicos scholas occupare et Collinum Pragae suo stipendio privatum esse queritur etc. (v. epist. V.). Imo et in nova V. Cal. Oct. ejusdem anni gratulatur Ebero, nova dignitate in Ecclesia Viteberg. mactato etc. (v. epist. VI.). In alia d. 14. Jul. a. 1562. scripta (v. epist. IX.) catalogum synodi Tridentinae se fatetur legisse etc.; quae sunt indicio, quanta benevolentiae fuerit inter ipsos conjunctio et quam bene junctam coluerint amicitiam.“ Hactenus Schreberus. Patet, nos una prid. Jan. 1551. scripta caruisse, reliquas Gothae servatas reddidisse.

Ceterum in codice Gothano nr. 212., quem multa diversissimi generis apographa continentem Cel. Jacobsii humanitas excutientium nobis permisit, duas alias reperimus Ge. Fabricii ad P. Eberum epistolas, quarum unam modo Schreberus videtur in manibus habuisse. Nos continuatis numeris significatas hoc loco adjungimus.

X.

Georgius Fabricius Paulo Ebero S. D. Amico tuo, Paule doctissime, quem mihi tam studiose commendas, nullam aliam legem praescribere potui, quam ut naturam Chamaeleontis sumat et se muniat forti patientia, et quia bene educatus est ac Deum vere invocat, habebit materiam, in qua se exerceat. Si ita res cadet, ut in hoc oppido victurus sit, non deero illi, quibuscunque rebus possum, et ut Nicolai Politii erudita ac libera (fort. liberali) consuetudine nihil mihi fuit jucundius: ita quoque illi eam praestabo benevolentiam, quae debet (fort. debetur) honesto ac modesto viro. Legi τὴν σικιννίδα σπα-
ρίαν (fort. μανίαν) *). sed quid miraris, in publico istos homines saltare, cum idem faciant in templis? Viderunt multi superioribus annis in illis urbibus Suevicis, quibus ritibus celebrarint noctem, qua solenni consuetudine Christi filii Dei natalis colitur, nam illam gentis et patriae suae more Saliarem in modum agitant, ut gratulentur regi nato: sed ut olim ταύτη τέχνη χράμενος ὁ Διόνυσος Τυρρῶνηνους καὶ Ἰνδοὺς καὶ Λυδοὺς ἐχειρώσατο καὶ γῦλον οὕτω μάχμιον θιάσοις κατορχήσατο **), idem paene Germanis accidisset, nisi vigilassent quidam principes, quamquam in animis hominum multorum adhuc saltant isti festivi homines. Certe cum scriptum hoc Germanicum legerem, visus sum mihi interesse, qui his non dissimilia spectacula Romae vidi et in quibusdam aliis urbibus Italiae. Quodsi

X. Ex cod.
Goth. nr.
212. fol. 87.
1554.

*) Σικιννίς (Fabr. σικιννίς) saltatio fuit satyrica, de qua v. Athenaeus l. I. c. 37. et l. XIV. c. 28.

**) Locus in codice vitiosissime scriptus petitus est ex Luciani libello περὶ ἀρχήσεως, ex quo sinceram orationem restitui, praeterquam quod Fabricium secutus θιάσοις simpliciter scripsi, non quod in Luciano §. 22. est τοῖς αὐτοῖς θιάσοις.

tecum essem, recitarem tibi ea, quae scribere nimis longum ac ineptum foret. Utinam intelligeremus omnes, quantum beneficium contulerit in nostram Saxoniam misericors Deus, qui ista religionum fictarum portenta reddiderit sordida in oculis ipsum vere agnoscentium. Tu autem, optime Paule, cum indigneris, et merito quidem, ego videam, quod suam infamiam ita leviter ostendent exteris nationibus? Deum invocabimus, et has regiones in vera sui agnitione et legitimo cultu conservet et custodiat ab hypocrisi, ex cujus semine talis populus prodit. Vale feliciter. Misenae e ludo illustri prid. Cal. Novemb. M.D.LIII.

XI. Ex cod.
Goth. nr.
212. fol. 89.
—cf. Schre-
ber. vit. Fa-
bric. p. 137.
et epist. ad
Meurerum
CXXV.
1557.

XI.

S. D. Horatius ait, *esse cicutis allium nocentius* *), quod ut in natura verum est, ita in imagine Ecclesiae, cujus multa vestigia in natura impressit Deus, esse verissimum videtur. Cicutae sunt, ut ego interpretor, ipsi pontificii; allium illis nocentius sunt apostatae, ut Eustachius, cujus mihi carmen misisti, in aula Vratislaviensi, ut Staphylus **) in aula Nissensis episcopi, qui Cyclopico more ventri tantum et pecuniae serviunt, et ut Polyphemus apud Euripidem Jovi, ita ipsi faciunt Deo aeterno, et talibus exemplis atque moribus majora damna dant Ecclesiae Christi quam adversarii atrocissimi, qui nunquam a capite suo pontifice Romano discesserant. Scripsit ad me nuper Chardesius, in illa vicinia neque scholas esse neque ecclesias, quod recte miserrimum est. nam si eae non sunt, neque educatio ulla est, neque salus esse potest. In collegiis quidem pontificiorum tales coetus quaerendi non sunt, ex quibus tam olet allium et tam letales producantur cicutae illis Atheniensibus nocentiores, qui earum potu tollebant corpora nocentum, at ipsi nunc animas perdunt suis cicutis pontificii. Haec imago naturae ut non inconueniens ecclesiae est, ita etiam secundum poetam conveniunt rebus nomina saepe suis. Vellem

*) Epod. III, 3.

**) *De Staphylo* v. Melanchthonis epist. ad Ge. Fabricium p. 435.

itaque Eustachium in meliore causa disertum fuisse, aut certe rationibus pugnasse potius quam calumniis, scribentem praesertim ad regem potentem et ut ferunt non inhumanum. Colloquium Vuormatiae, inchoatum est, et D. Philippus orationem habuit utilem, quae ita percussit partem adversariam, ut in primo congressu verbum nullum responderit. Agitur autem non amplius sermonibus, sed scriptis, quam rationem multi laudant. Nam cum a triginta jam annis et eo amplius pontificii suam doctrinam nunquam uno aliquo scripto proposuerint, jam tandem se prodere cogentur. Nostri insistent confessioni Augustanae, quae satis aperta, satis brevis est, et a tot calumniatoribus hactenus everti non potuit, neque unquam evertetur, si iudicium maneat penes verbum Dei. Polyphemici autem isti cum testimonio spiritus sancti de Christo et voce patris coelestis de suo filio aperte contradicunt, nonne impingunt in eum lapidem, qui suo casu ipsorum regnum demolietur et capita callida?

Quod mihi gratularis conjugium, scio valere votum tuum viri boni, ministri Dei, precorque vicissim, ut te tuamque familiam Deus gubernet et cuostodiat. Doctor Vuellerus commentarios scripsit in tres libros Regum, ultimum vix absolvet, confectus senio, morbis, curis, et vexationibus diaboli: sunt ejus scripta sapientiae et spiritualium consolationum plenissima, quia sunt viri pii et exercitati scripta. Habes epistolam prolixam, quam in otio minime optato dictavi alteri. Morbus enim iste epidemicus, qui nunc grassatur et quem ignorant medici, me quoque detinet ab usitatis laboribus scholasticis. Galli infelicitate pugnarunt in regno Neapolitano et in sua patria. Classis Turcica ad opem illis in Italia ferendam ingressa est mare Tyrrhenum et vastare dicitur Campaniae litora. Gallis victis atque profugis pontifex pessimarum partium semper studiosus Anconam urbem causa praesidii tradidit, quae habet portum maris Adriatici firmissimum. Imminent mutationes novae, quae ut fiant nullo cum Ecclesiarum et omnino Germaniae patriae nostrae detrimento, Deum assiduis precibus oremus. Vale feliciter. Misena e ludo illustri anno Christi M.D.LVII. VI. Idus Octob. quo die ante annos M.XXXIII victo a Saxonibus Herman-

frido translatum regnum est a Turingiis ad Francos, qui Saxonum virtute potiti victoria erant, ut modo virtute Saxonum Anglicus rex Gallos superavit ad Samarobrivam, hanc enim nunc Quintinum dici existimant *). Vale denuo. Salutat te Jacobus frater meus, qui nunc mecum hic vivit, propediem rediturus Argentoratum et inde fortasse in Galliam.

*) *Samarobrica* Ambianorum. Caes. B. G. V., 24. 45. 51. hodie *Saint Quentin*, aliis *Augusta Veromanduorum*.

**Epistolae Georgii Fabricii ad Philippum
Melanchthonem *).**

Georgius Fabricius Phil. Mel. S. Tuae voluntatis, fidei, virtutis exstant in his regionibus et extabunt testimonia sempiterna: utinam in te gratiores essent ii, qui esse deberent et qui adverbo (scr. id verbo) prae se ferunt. Miratus sum saepe in veterum historiis levissimis de causis bella exorta: eadem nunc calamitas reimp. literariam affligit, quae iis consiliis labefactatur, quibus putant aliqui posse constitui. Difficultas autem, quae istius coloniae initiis objicitur, neque in te, neque in me est, verum in re ipsa non satis provisa et non deliberata iis auctoribus, quibus utendum fuisset. Deinde quod omnia contrahuntur in tam molestas angustias, grave erit docentibus, praesertim in ista servitute: quam nos sustinuisse sine tumultu, sine querela, omnes homines sciunt, loquor de me: et tu, quamvis majore et sapientia et fortitudine praeditus, istorum vel graviorum onerum expers non fuisti. Quod si peccata aliorum aut errores nobis imputantur, iniquum mehercule est: sin Deus ipse impedit, quod ecclesiae nocere aliquando potest, quis contra ipsum pugnaverit, etiamsi coelum, terram inclamet. Nolim autem te, vir optime, molestia nescio ex quibus literis concepta nimis moveri, cui consiliorum factorumque rectitudo ac conscientia merito consolatio esse potest. Literas ad oeconomum tuas legi, et propter suspicionem mihi nihil cum illius consiliis commune. Andream fratrem meum, qui ad usitatos jam honores aspirat, tibi et doctissimo viro D. Peucero genero tuo commendo, qui cum eum multis officiis liberaliter juverit, nunc quoque in eo ornando tuebitur et beneficium et iudicium suum. Vale feliciter. XV, Cal. Julii M.D.LIII.

1554.
cf. epist. ad
Meurerum
CIX: et
CXVI.

*) Ex cod. Goth. nr. 212. fol. 85.

*Georgius Fabricius Phil. Mel. S. D. *)* Observande praeceptor. Literarum dulcissima lectio, quas a te desideratas accepi, refricuit mihi ποθεινόν (Schreber. πιθεινόν) ἔρωτα, qui eodem mense, quo tu, postea (scr. patrem) Georgium annos jam 20 amisi peste, cum is quadriduo ante duarum filiarum una hora oculos clausisset. Vietus patrio (Schr. patris) affectu post curatum funus in eundem morbum incidit: me mense Augusto dimiserat, fratres pueri domi erant omnes. Fuerat eodem anno in periculo propter sacerdotem pium, in quos Georgius Princeps tum inquirebat, quem rure venientem solebat hospitio excipere: is literis eum consolabatur, et ejus [animo peregrinationem Romanam, de qua saepe glorians loquebatur, tum primum excussit. Legebat ei filia superstes ad lectum, quae primum desiderio sororum, tum morbo patris plane exanimis, ut a patre discederet, cogi non potuit. Reliquit mihi mandata plena amoris ac pietatis, et ipse sentiebam absens, domi quid fieret, in diuturna aegritudine constitutus. Cum nostris autem lacrimis, quas tu, qui plura vides et majora onera sustines, saepius fundis et privatis molestiis et calamitatibus publicis impulsus, omnes pii conjungunt suas, quas etiam aeternus pater manu filii sui tibi aliisque in ipsum sperantibus abstergebit. Quae in conventu Pannico (?) acta sunt contra Lautervaldum, legi, et inprimis illud mihi placuit, quod magistratum hortamini, ut, nisi mutet impiam sententiam, a ministerio evangelii removeatur. In negotio nostro scholastico, si justas querelas Principi libere exposueris, multum nobis tua auctoritate proderis. Audio successurum esse τῷ ἱπποποτάμῳ δρυοκολάπτην

*) Ex eodem cod. Goth. Fol. 84. Dedit hanc epistolam usque ad verba *in diuturna aegritudine constitutus* Schreherus vit. Fabric. p. 6., haec praefatus: „Adjungam integra ejus verba ex epistola illa Georgii, quam Msetam beneficio Celeberr. Schlegelii cum plurimis aliis debeo.“ cf. vit. nostr. Fabr. p. 12. Memoraverat patris sui mortem Ph. Melanchthon d. 27. Octobr. 1554. ea epistola, quae libri V. p. 417. Norimb. ed. exscripta est. Ejus initium est: „Hoc die, videlicet die 27. Octobr. meus pater Georgius ante annos 47 mortuus est, cum quidem vixisset tantum annos 49.“ Ad ea Fabricius sua epistola respondet.

(Mscr. *δρυοκολέπτην*) h. e. Labani Ananiam. Deum oro cotidie, ut te scholis et ecclesiis diu servet incolumem et firmum Vale feliciter, observande praeceptor. Pridie Calend. Novembr. M.D.LXIII.

Schreberus vit. Fabr. p. 11. laudat epistolam, quae Mscrpta sibi obvenerit, Fabricii ad Melanchthonem, scriptam d. 6. Id. Decembr. 1555. de morte sororis Annae hoc initio: „Afficior domestico dolore propter carissimae sororis obitum, octo bellissimorum puerorum matrem;“ et p. 294. haec praefatus: „Luget (Fabricius Georgii Agricolae) mortem et simul imaginem ingenii ipsius, pontificiae doctrinae sectatoris constantissimi, depingit in epistola ad Melanchthonem 6. Id. Decembr. an. 1555. missa, e qua e G. Schubarthi Jenensis Academiae ornamenti eximii Bibliotheca in meos usus perlata potissima haec transcribo;“ ejusdem epistolae maximam, ut videtur, partem ita reddit:

„Non minor est ille dolor, quem mihi luctus publicus affert. Amisimus enim XI. Cal. Decembr. singulare patriae nostrae decus, Georgium Agricolam, praestanti ingenio, eruditione, judicio virum. Pervenit ad ænnum aetatis secundum et sexagesimum, quem firmis a pueritia viribus febris quartana consumsit, nec ullo antea laboravit morbo, nisi oculorum lipitudine, quam ex indefesso studio et insatiabili lectione contraxerat. Doleo, ejus libros non esse absolutos, unum *de demonstratione*, alterum *de methodis*, qui erant futuri primi duo Commentariorum, quos toties promittit. Restabant et alii quidam, quorum ipse fortasse mentionem faciet in libris Metallicis, qui nunc sub prelo sunt Basileae. Habebat in manibus Principum Saxoniorum stemma, ex quo etiam traxit Monteferratenses et Sabaudienses Duces; id distinxerat in tabulas quatuor et explicaturus erat lingua vernacula libris tribus; quod argumentum philosophica ejus studia impediit; alterum enim in ea investigatione annum jam versabatur. Verum haec opera atque monumenta studiosis atque doctis hominibus futura grata mors interrupit. Scio te amavisse ingenium hominis, quamvis

sententia a te multum dissideret, praesertim de religione et salute animarum. Nam nostras ecclesias contempsit et in societate sanguinis Christi nobiscum esse noluit. Ideo Principis mandato, quod Inspectoribus ecclesiarum dedit et Tetelbachius fidelis minister executus est, negata mortuo sepultura, et quarto demum die Cizium avectus in templo episcopali conditur, mortuus a mortuis, ut Christus apud Matthaeum inquit. Miratus ego semper sum ingenium hominis in literis nostris et tota philosophia eximium; miratus vero multo magis opiniones ipsius de doctrina coelesti, rationi quidem convenientes et speciosas, sed minime veras, si verum est, quod Apostolorum scriptis traditur. Nam ille de traditionibus non scriptis dialogos conficiebat, non minus tamen de Ecclesia, de usu Sacramentorum, de auctoritate ministerii ex non scriptis iudicabat. Ut autem de philosophia disserentes aequo animo audiebat omnes, ita de rebus sacris contra se disputantem patienter ferebat neminem.“

Ceterum, possidere se hanc epistolam cum aliis Fabricianis ex bibliotheca Georgii Schubarthi, dicit Struvius Biblioth. Saxon. p. 306. not., ubi partem ejus exhibet a verbis *Habebat in manibus* usque ad *mors interrupit*.

Denique aliam ad Melancthonem epistolam commemorat Schreberus p. 129. his verbis: „Percipiamus vero etiam, qua animi ingenuitate de ponendis litibus et controversiis ad Melancthonem scribat epistola, cui annus non est annotatus, sic sonante:

„Concordia ut sit necessaria, sciunt omnes, et tueri eam optimum quemque fas est; violata vero cum sit, ad eam sanciendam sua studia qui dirigunt, non sunt reprehendendi. Annis superioribus, quid dederint bella damni omnibus Germaniae Rebuspublicis, meminimus, sed quantum eadem ecclesiis intulerint calamitatis, nulla aeternitate obliterabitur. Multae enim penitus vastatae sunt, in multas immissi aut crudeles papistae aut hypocritae impii: nostrae vero, quod omnem vincit animi Christiani dolorem, adhuc distrahuntur factionibus. Graecorum ecclesiae ad interitum usque pugnarunt, de sancto-

rum statuis: nostrae disceptarunt de sacerdotum vestibus, quae bonos aliquot viros exuerunt ministerio, ut in hoc quoque oppido factum est, et ego vix contentionibus obtinui, ne in nostrorum puerorum colla conjicerentur, scripto quodam in Principis nomen ficto, quod ego initio mei muneris nec videram nec legeram. Secuta mox doctrina de operum ad salutem necessitate audacter proposita, majori temeritate confirmata, cum qua colluserant libellus Numburganus de Ecclesia et alius quidam. Hi multis bonis dolorem attulerunt, quia Usingi monachi et Vicellii apostatae errorem renovarunt. His decretis et scandalis animi eruditorum et societas ecclesiarum distracta est. Bona autem in spe fuimus, tuam et Illyrici congressionem processuram, quae his malis afferret salutare et tempestivum remedium. Sed ea quia impedita est, student adhuc homines de ineunda ratione et via, quibus efficiatur, ut inter vos de rebus necessariis tuto colloquamini. Cui sententiae favere me plane confiteor, et ab ea te nequaquam abhorre mihi persuadeo. Etenim tollenda pontificiis, maximis Christi hostibus, exultatio, qui se prope adeptos victoriam confidunt, dum nos Thebanorum fratrum odio telis mutuis invicem conficimus: adimenda spes est hypocritis, qui, dum ex Ecclesiae regno Aristotelicam aut Platoniam nequeunt Monarchiam constituere, tragicis exemplis saeviunt in membra Ecclesiae, ut nunc fit in Anglia: minuendi sunt animi cum superbis illis, qui absque meriti Christi imputatione justitia inhabitante, tum his furiosis, qui sine ministerio verbi contemplatione nescio qua vitam aeternam se somniant consequi, ut nunc in Prussia et Suevia docetur: impugnanda denique illorum ἀπιστία, qui sacramenta contaminant et quod comprehendere sensu nequeunt, id claro et perspicuo Dei verbo recusant credere, quorum hominum major quam credi queat multitudo est. Tot hostibus atque adversariis nostras scholas et ecclesias quasi circumvallatas in praesidium aliquod quietis posse deduci absque unanimitate atque pace, sperandum non est: ad quam constituendam nemo dubitat te tua humanitate, doctrina, auctoritate posse plurimum, et boni quidam se in eo laborare significant et sua consilia conferre cupiunt. Quam rem pro tuo ingenti erga Ecclesiam

studio juvabis: nam quando contentiones vigent, etiam bene dicta torquentur aut calumniis depravantur; cum vero infirmorum fides periclitatur, conscientiae turbantur, preces impediuntur.“

1556.

Eodem loco vit. Fabric. p. 131., servatam dedit epistolam Schreberus Ge. Fabricii ad Matth. Flacium 9. Cal. Septembr. a. 1556. scriptam, quam et ipsam e bibliotheca Schubarthiana Jenensi acceperat. Eam ut tempore et argumento affinem proximae Melanchthoni inscriptae hoc loco subjecimus.

„Clarissime vir. Lectis ante paucos dies tuis et D. Philippi ad Hubertum, meum quoque amicum, literis gravissimum animo cepi dolorem, quia animadverti, telam odiosarum certationum ingentem retexi; quod fieri omnes pii abominantur, et ego ex animo irascor iis, qui congressum vestrum calumnia, ut mihi videtur, impedierunt. Minime enim dubito, quin mutus vester conspectus et antiquae familiaritatis memoria fuerit jucundum reconciliationis initium: ad quod si in ipsa actione accessissent de magnitudine rei et luctu Ecclesiae istis certaminibus jam quasi attonitae serii et amici sermones, suspiria, lacrimae, illos ipsos animorum motus accendisset et gubernasset Spiritus sanctus ad Ecclesiae suae utilitatem atque laetitiam. Te, Illyrice, non credo ulla cupiditate huc adductum, ut te sejungeres a viro eo, quem pie coluisti et observasti. Nec D. Philippus accusari potest in hac misera et corruptissima natura, ut circumveniantur simplices et boni etiam decipiuntur; et usitatum diabolo opus est, levibus flammis oleum infundere, ut ad augenda mala publica et disturbendam piorum societatem incendia suscitentur. Ex vestra distractione alii voluptatem capiunt, ut adversarii omnes, alii commoda et gloriam venantur, ut homines cupidi et amici ambitiosi, ex quorum numero nemo serio studebit, ut aut veniat ad colloquium aut animis unquam aggregemini. Sunt autem Ecclesiae amantes et Christianae pacis studiosi plurimi, qui vos conjunctos optant,

*) Epistola Ge. Fabricii ad Matth. Flacium Illyricum 1556.

e quibus me quoque esse profiteor vel eorum puerorum causa qui mihi a Deo et patria commissi sunt, ut ad eos quoque propagetur vera Dei notitia et cultus religionis non barbarus. Casu igitur nuper literis vestris acceptis, aliquot piis et gravibus viris eas legendas misi, qui congressionem impeditam se curare atque urgere velle polliciti sunt, et a me petierunt, ut auctor tibi essem, ut ad constituenda talis deliberationis principia a calamo temperes, donec tuto invicem loquendi facultas et opportunitas vobis daretur. Quamvis autem nulla inter nos nec vitae nec literarum consuetudo hactenus fuerit, amore tamen ac studio et religionis et patriae non potui hoc officium bonis et honestis viris negare, praesertim cum videam, ejusmodi turbis atque contentionibus et fidem infirmorum periclitari et perturbari conscientias et preces impediri. De D. Philippo scio, plus ipsum temporis dare precibus quam studiis, cum sit vir omnium laboriosissimus; de te audio propemodum eadem. De luctis vero animorum et certaminibus internis, quibus odio diaboli nemo vere pius non vexatur, judicare non possum, quia ea solus intuetur Deus: sed et illa fortasse non erunt dissimilia in tanto studio juvandi Ecclesiam et celebrandi nominis divini. Faciat igitur Deus aeternus, pater Domini nostri Jesu Christi, ut quem pari ardore invocatis, pro cujus gloria tuenda quotidie affligimini, in eodem quoque externo amoris vinculo ad laudem et amplitudinem Ecclesiae et ad exemplum omnibus piis totique posteritati imitandum jungamini. Vale feliciter."

Reliquas Fabricii epistolas, quas in codice Gothano m. 212. diversis locis exscriptas reperimus, ad meliorem rationem digestas hoc ordine reddendas existimavimus:

I. *Georgius Fabricius M. Petro Glasero.*

S. D. Nec turpe est mihi rogare pro misero, nec indecorum tibi in re tenui prodesse. Mart. Braun pius et studiosus est, eget autem libellis aliquot scholasticis, quos ut vel per Senatum vel per alios pios consequatur, a te peto, recte enim collocabitur eleemosyna. Effigies aliquot eruditorum misi ad D. Nontalerum, ut traderet eas exprimendas Illustr. Principis artifice, qui typis dat operam. eas an acceperit nescio, nec an Dresdae Nontalerus adhuc sit, certus sum. Rogavi etiam effigiem argenteam D. Philippi, cujus pretium sum soluturus, si erit facta, et misi ad eandem adjungendos versiculos. Tua mihi auctoritas inprimis proderit, ut eam consequar, et ut caeterae effigies ne pereant. Commendo tuae pietati nostram scholam, nam serpens ille grandis adversarius Christi non desistit insidiis nos impugnare. Nisi enim omnibus careo sensibus, videtur mihi id agi, ut, quoniam illa hypocritica sublata est Dei unius beneficio, nunc etiam *μυρμηρία* nostra vastetur atque concidat, aut in *σφηρία* convertatur. Verum id minime aperte fit, sed tentatur iis modis, qui esse possunt noxii, et sunt certe.

Quamobrem quacunque re potes scholastica negotia apud Illustr. Principem quavis occasione promove. Fratri tuo erimus auctores ad omnem virtutem et honestatem. Impostor ille, e cujus pectore puer enatus erat, quia id magicis effecit artibus, crematus esse dicitur. Vale feliciter. Misenae III. die Junii M.D.LVI.

*) Ad I. *Petrus Glaserus* pastor prius in pago Rennersdorfensi, postea concionator Dresdensis in templo Virginis et in Crucis aede, inde ab a. 1580. Senatus sacri Assessor, obiit Dresdae a. 1583. Ejus filius *Theophilus* natus 1553, disciplina usus Afrana sub Fabricio, pastor fuit in pago Reinhardogrimano, mox Dresdam vocatus a. 1591. tertius ibi ephorus fuit ecclesiae Lutheriae, mortuus a 1603.

II. *) *Clarissimo viro, integritate, doctrina, humanitate ornatissimo D. Ioachimo Camerario, gubernanti studia in Academia Lipsica, domino et patrono suo observando.*

1560.

S. D. Multos graves nuncios de tua matrisque valetudine filius tuus (Ludovicus) hac hieme accepit, nec ipse commode valuit. Ideo dolore illius, quem vultu significavit, saepe dolui, et nunc desiderium ejus esse pietatem judico. Voluit igitur pedes ingredi iter, ut harum feriarum tempore vos viseret, quod cum D. Christophorus non dissuaderet, comitem ei adjunxi adolescentem bonum; vecturam enim jam non invenimus, quam sibi etiam testatur esse molestam filius tuus. Inspectio- nem ludorum commissam D. Philippo gaudeo. Pontifex Roma- nus novus quod nomen ante electionem habuerit, si novisti, mihi significa, nondum enim scire potui, et eo inquiero, quia monstra illa pleraque vidi. Familia obscurus et pauper est, professio humilis fuit, nam mercede serviit in officina aroma- toria. Frater ejus bello clarus duxit Pauli III. neptim et fra- tri suo impetravit pileum. Filius et gener tuus honeste edu- cati, moribus verecundi, vita modestissimi, videbunt in illa Sodoma, quod animum oculosque excruciet: audient, prae qui- bus surdi esse mallent, et nisi artes atque studia in Italia essent, nulla hodie natio magis esset barbăra. Muretus Gal- lus, ut audio, incessit emendationes Plautinas tuas, valde in suis scriptis *κατασκευάζων*, quod si aliis placeret, ut ipse sibi placere videtur, non esset alius melior. Sed et habere dicitur suos antagonistas Robortellum et Robertum Stephanum. Haec ex aliorum relatu, nam ipsorum libros nondum vidi. Comitem filii tui **) tibi commendo, exacto tempore suo jam petit sti-

*) Ad II. Laudat hujus epistolae, quam falso *Id. April.* pro *V. Id. April.* datam dicit, Schreberus p. 55. haec verba: *Filius et ge- ner tuus — esset barbăra.* Idem p. 260., ubi de Ludovico Camerario, filio Ioachimi, Fabricianae disciplinae alumno, agit, ita de eo et hac ipsa epistola: „Hic 1560 in his castris Misnicis militavit, quantum ex epistola colligo Nostri ad Ioachimum patrem eo anno scripta, quam *επιστολή* Schlegelianis ad me cum aliis perlatam, comitem dede- rat iter ad patrem aegrotum aliquantulum ingredientem.“

**) Ad marg. scr. *Casp. Vualch.*

pendium. diligens fuit et rudimenta linguae Ebraicae privatim didicit ab hujus oppidi diacono. Vale feliciter. Hamelium generum tuum reverenter saluta. Deus vos rei literariae diu conservet. Misena V. Idus Aprilis. M.D.LX.

Georgius Fabricius.

*III. *) Bonis moribus et literis omnibus ornato adolescenti Hugoldo de Sleinitz Ioannis filio, amico suo caro.*

S. D. Ioannem Vuolcium, bonum et honestum adolescentem, ad te patris tui mandato mitto, ut tecum repetat rudimenta grammatica et tibi aliquot Ciceronis epistolas explicet et argumenta proponat. Cui ut pareas modeste et virtutem ames et studia bona colas, te mi Hugolde oro. Cura quoque valetudinem tuam et vive in timore Dei. Vale feliciter. Tuos parentes optimos meo nomine saluta. Misena die XX. Ianuarii anno 1560.

IV. Bono et erudito adolescenti Simoni Mirichio Sleiniorum praeceptoris amico suo.

S. D. Vir clarissimus et singulare Germanicae decus Philippus Melanthon obiit XIII. Cal. Maji eo die, quo ante annos sex et triginta Petrus Mosellanus decessit, conditus in arce juxta Lutherum plumbeo sarcophago. Morbus fuit febris, finis morbi et vitae septimus paroxysmus. Iam et Elisaeum suum amisit extrema mundi aetas. Ordinem studiorum, quem observas cum adolescentibus, ad me mitte: si quae mutanda sunt, mutabo. Ioanni et Hugoldo salutem meo nomine nuncia et cane illis dictum Christi: Vigilate et orate, quia nescitis diem atque horam, quia exemplum viderunt, quam momentanea sit adolescentis vita. Vale feliciter.

Misena die Marci Evangelistae, qui Romae est dies Pasquilli.

Georgius Fabricius.

*) Ad III. In manibus habuit hanc epistolam et proximam ad Sleiniorum praeceptorem *Simonem Mirichium* Schrebelius, a quo illae memorantur vit. Fabr. p. 328. — De *Ioanne Sleinico*, patre Ioannis et Hugoldi, diximus in vita Fabricii p. 88.

V. *) *Optimis literis et moribus ornato Georgio Kelvigio, amico et affini suo carissimo.*

S. D. Mi Georgi, tuas literas legi libenter, non eo quidem nomine, quod me tantopere laudas, sed propter pietatem tuam, quam multis veris indiciis significas. 1562.

Davidi puero, quem mihi commendas, praestabo boni praeceptoris animum et officium. De morbo tuo veteri intellexi cum dolore: sed forti animo sis velim. Quicquid enim in hac vita est, totum est momentaneum, tabes autem carnis est salutis integritas, morbi vero continuati nobis maturant iter in patriam coelestem. Has consolationes quum (Schreb. si) noveris, sustentata te patientia et fide. Haereditarium nobis est peccatum, haereditaria imbecillitas, haereditarii morbi, et ea omnia a parentibus: haereditaria quoque est salus et vita aeterna per filium Dei, Dominum et fratrem nostrum, prae qua spe et felicitate, quicquid est in hoc corpore grave, acerbum, caducum, animo aequo ferendum est. Saepe autem Deus pater coelestis corpus affligit ad tempus, ut animo consulat perpetuo. Haec breviter ad tuas respondeo literas valde humanas, teque oro, ut ea boni consulas. Vale feliciter. Misenae in ludo illustri eo die, quo de ove perdita Christus concionatus est. M.D.LXII.

VI. **) *Nobilitate, ingenio, virtute praedito adolescenti Ernesto a Punickau in academia Lipsiensi, amico suo cariss.*

S. D. Quod pergis in studiis ea alacritate, quae te decet, valde gaudeo: quod etiam cupis dialecticā et rhetorica praecepta perfecte cognoscere, antequam te ad jus civile conferas, 1568.

*) Ad V. Maximam partem hujus epistolae a v. *De morbo tuo* usque ad *consulat perpetuo* dedit Schreberus p 138.

**) Ad ep. VI. De Jo. de Ponickau, Electoris consiliario intimo, v. Schreber. vit. Fabr. p. 326. Hujus filio Ernesto Lipsiae studiis operam danti quae missa est haec epistola, citatur ab eodem inde a laude Joach. Camerarii usque ad finem.

facis sapienter. Quodsi addes privatim libellos Aristotelis, quos de moribus scripsit, quique satis bonos jam interpretes habent, Lambinum et Quingerum, videbis usum praeceptorum in dialecticis. Videbis mox etiam in ejus politica commentarium Petri Victorii. Hac scientia munitus cognosces fontes juris, et cupidius eos hauries, et magnum tibi decus addes. Sed quid ego consulo, cum habeas virum praestantissimum D. Ioachimum Camerarium, qui et ipse libros ἡθικὸν exposuit, et jam velut in exercitum Grajorum Nestor palmam tenet sapientiae inter eruditos? Hunc audi, huic te adjuuge, ejus senili prudentia utere, ejus industriam imitare, cui nec morbus nec aetas potest calamum e manu eripere, quin semper aliquid cudat politum. Et fortasse apud virum humanissimum efficies, ut ethica, quae vertit, citius in lucem edat. Haec scripsi hortatu viri ornatissimi patris tui, patroni mei. Te tuaque studia Deo commendo, et te valere feliciter, mi Erneste, cupio. E ludo illustri Miseno IIII. Cal. Iunii, anno a nato servatore M.D.LXVIII.

Georgius Fabricius.

Epistolae de Originibus Saxonis ad viros amplissimos Dresdenses scriptae a Ge. Fabricio ab anno 1560 ad annum 1571, quae Orig. Saxon. l. VII. subjunctae a Iacobo Georgii filio extant p. 883 sequ.

1560.

VII. *) *Magnifico viro, dignitate, virtute, doctrina praestantissimo D. Ulrico Mordisio I. U. Doctori et Illustr. Saxoniae Electoris consiliario intimo, patrono suo observando.*

S. D. Magnifice vir et patrone observande. Iudices in meo labore difficili et invidioso habiturus sum infinitos, sed

*) Ad. ep. VII. De *Ulrico Mordisio Mordeisenio*, professore Lipsiensi, postea Mauricii El. Cancellario, Augusti consiliario intimo, v. Adami vit. Iuriscons. p. 96. vit. nostr. Fabric. p. 88. de Langena vit. Mauric. Tom. II. p. 125 et 167. Obiit Dresdae a. 1574.

adjutorem jam plane reperio neminem. A te quid petierim proximis literis, meministi: sed quia alia ratione perveniri ad id quod cupio non potest, mitto ad te Ernesti et Alberti fratrum illustrissimorum res gestas, quantum ego quidem investigare potui. Eas velim mittas ad virum ornatissimum omnique genere doctrinae et laudis praestantem D. Christophorum Carolovicium, ut e suis commentariis, quos ipse scripsit, haec nostra fideliter emendet, et hoc patriae tribuat, ut ducum praestantissimorum facta ad posteritatem fiant illustria, facturum quidem rem mihi optatissimam, sed se multo magis dignam, patriae vero et optime meritis de ipso Principibus plane debitam. Ego, qui in hoc negotio mihi imposito nec sumptibus aliquibus nec valetudini parco, tuae fidei me totum commendo, et te spero auctorem fore, ut etiam mihi liberaliter pro meis vigiliis atque laboribus praemia decernantur. Vale feliciter. Misena e ludo illustri VII. Calend. April. M.D.LX.

T. M. observantiss.

Georgius Fabricius Chemnicensis.

[Aliam ad Ulr. Mordisium epistolam dat codex Gothanus, partem ejus usque ad verba *labor et emendatio* exscripserat Schreberus Vit. Fabr. p. 198., haec praefatus: „Non erit incongruum annotare hoc loco, quod Georgius noster eorum elogiorum auctor sit, quibus splendidum istud monumentum D. Electoris Mauricii in Mausoleo Saxoniorum Principum Freibergensi ornatum fuisse reperimus. Subindicat illud Moller. in Chron. Freiberg. P. 1. p. 63. et elogia omnia describit. Est vero in manibus meis epistola nostri ad Ulricum Mordisium d. VII. Julii a. 1562. missa, ex qua licet perspicere, quod de ornamentis istis cum hoc summo viro accurate egerit.“ Integra epistola, ut in cod. Goth. legitur, haec est:

VIII. *Georgius Fabricius Ulrico Mordisio U. I. D.*

S. D. In elogiis (cod. *elegiis*) brevitatis delectat, ideo haec collegi capita, quibus facta Mauricii continentur, literis paene singulis numeratis. Quia autem otiosi nunc sunt statuarii, pos-

sunt, quae tibi ex his videntur, interea in chartis delineare, ut sive haec retinenda sint sive amplianda, mihi de tuo iudicio facilius sit labor et emendatio. Literae autem, quas ad me nuper miserunt, nimis exiles videntur, quae si retinendae sunt, erit illa prolixitate narrationis utendum, quam tibi nuper improbari intellexi, quaeque stimulos illos non habet, quos brevis animis solet infigere. Ad diem constitutum Dresdam cum venero, et quae misisti rursus afferam, et prolixitatis quoque speciem praebebo. Vale feliciter. Misena d. VII. Iulii 1562.

Sed alias quoque commemorat Schreberus e bibliotheca Schubarthiana secum communicatas, et unam quidem p. 206. et p. 214., scriptam VIII. Cal. Iun. a. 1557., qua Virgilium suum Augusto Electori per Ulr. Mordeisenium offerri cupiat, cujus haec verba ille servavit. „Ante biennium eundem laborem suscepi in operibus Virgilii corrigendis, cum eodem tempore ejusdem poetae interpretes integros ad editionem pararem: nam Donati tantum extabat epitome eaque corruptissima. Inscripti igitur et hunc autorem Duci nostro Illustr. Quamquam autem clementia et liberalitas ipsius in dandis socero meo nuptiarum sumptibus me antevertit, tamen judicavi rectum esse, ut ipsius Celsitudini observantiae meae exemplar afferretur. Id quod per neminem fieri commodius potest, quam per te, cujus et auctoritas magna et humanitas maxima. Quare ut hoc libenter suscipias munus pro tuo in me favore perpetuo, etiam atque etiam rogo atque oro.“ At p. 214. Schreberus dicit, in eadem illa epistola die VIII. Iun. 1557. data Fabricium scribere Mordeisenio, *Castigationes Terentianas* inscripsisse se quidem Augusto Duci, sed eum qui librum offerre deberet, non obtulisse. — Majorem autem ejus partem idem servavit p. 159., qua de libris suis historicis ita scripsit Ge. Fabricius:

„Quod ad Genealogiam familiae Saxonicae attinet, his jam ex aula admonitus literis sum, ut in ea pergam; quod quidem facio, quantum per Scholae occupationes licet, cotidie; sed tamen otium mihi tempusque concedendum, nam et multa per-

currenda sunt scripta et summa diligentia conferenda. Iam versor in secundo libro, qui continet historias Imperatorum Henrici et Ottonum et qui ab iis descendunt, qui quidem eget collatione accurata propter varietatem scriptorum et rerum gestarum amplitudinem. Scribo autem Latine, ut etiam usu et tractatione oratio mea et ipsa narratio fiat cultior. Haec enim tota ex autoribus barbaris est petenda, quales superiorum fuisse temporum non ignoras: labor autem vertendi in linguam vernaculam minus erit operosus. Haec significanda putavi praecipue tibi, a quo mandatum accepi, et viro intelligenti, qui me tueatur, et verum etiam tempus otiumque impetret ad perficiendum. Nam quantum quidem progredi possum, progredior in re obscura et e variis monumentis quasi consarcinanda.“

Deinde Schreberus p. 160. „Audiamus hic praeterea quid ad eundem 10. Cal. Octobr. a. 1558. scripserit, ut, quam plenum difficultatis habuerit negotium Origines scribendi, discamus, et, quod Mordeisenio potissimum in ea re adiutore et patrono usus sit, constet:

„Originum Illustr. stirpis Saxonicae libros duos te absente tradidi viro ornatissimo Joanni Punicae (Io de Ponickau), de quibus expecto iudicium tuum, petoque ut eos, si digni videbuntur, Illustrissimo Electori meque ipsum commendes. Scriptores, quos lego, barbari et indocti sunt, et quae notarunt, nullis additis causis, nullis circumstantiis, nullo ordine sunt exposita. Quamobrem mihi multiplex difficultas objicitur, et in intelligendo, et in narrando, et in disponendo ita, ut narrationis formam simplicem et apertam habeat oratio. Neque ego satis intellexi, quam onus valde meis humeris atque professioni impar susceperim. Quamobrem, quod te saepius rogavi et tamen mihi benigne recepisti, hunc etiam rogo, ut tuo me favore subleves et auctoritate tuearis. De Chronico, de quo scripsi proximis literis, curae tibi erit ut consequar. Iam inquiri Gallici scriptoris librum vernaculum de Ducibus Sabaudiensibus. Adjunxi ad literas omnium sex librorum argumenta, ut doceri possit Dux Illustr. de materia. Novi, D. Agricolae, dum scriberet, habitum honorem, quo esset ad scribendum alacrior: quod cum non immerito fieri intelligas, pro

tua veteri ac propensa in me benevolentia meis quoque rationibus consules.“

Ceterum ultima hujus epistolae verba: *Novi, D. Agricolae — consules commemorat etiam Struvius Biblioth. Saxon. p. 307., additque: „Parum vero Fabricium obtinuisse, ex epistola ipsius ad Christoph. Carolovicium Kal. Novembr. apparet, in qua: Ab Illustr. Electore triginta nummos unciales ad emendos libros impetravi. Agricolae haeredes asperiores fuerunt, a quibus sine mandato Principis nihil impetrassem. Idem Struvius p. 312. epistolae ad Ulr. Mordeisenium VIII. Kal. Jun. 1557. scriptae, quam manu exaratam se possidere dicit, reddit verba: Quod ad genealogiam — minus erit operosus, quae supra ex Schreberi vita Fabr. exscripsimus.]*

1561.

*IX. *) Nobili et ornatissimo viro, doctrina, dignitate, virtute praestanti D. Simoni Pistoris I. U. D. et Illustr. Saxoniae Electoris consiliario, patrono et domino suo colendo.*

Magnifice vir, patrone observaunde. Nuper Torga tecum profectus eodem curru mentionem feci Genealogiae Saxonicae, quam in manibus habeo. Interea vitam Illustris Ducis Georgii absolvi, e variis locis quanta potui diligentia collectam, quam ad T. M. me promisi missurum, ut tuo acri judicio emendetur, qui illis temporibus in Rep. maximum nomen et dignitatem obtinuisti. Ego non is sum qui mea pertinaciter defendam, sed iis gratias habebō perpetuas per quos proficio, tuumque no-

*) Ad ep. IX. *Simon Pistoris* nat. Lipsiae a. 1489., I. U. D. et Professor Lipsiensis, ab a. 1523. Georgii Ducis et post Henrici mortem Mauricii Cancellarius (cf. de Langenn vit. Mauric. Tom. I. p. 102. sequ. et 148.) a. 1548. recessit ab administratione reipublicae et reliquam vitam otio et literis dedit in praedio Seuseliciano, ubi a. 1562. mortuus est. v. Adam. vit. Iuricons. p. 74. sequ. et Ioecher. Lex. Tom. III. Inscriptionem monumēti ejus factam a Georgio Fabricio v. apud Adam. l. c. p. 74. — Epistolam Sim. Pistoris, qua respondit Fabricianae et nonnulla in hujus commentariis correxit, infra reddendam curavimus.

men in illa narratione honorifice praedicabo. Quamobrem, vir ornatissime, meum scriptum tenue libenter lege, audacter corrige, libere emenda. Possent quaedam ornatius dici, sed difficile est rerum multarum inscio mihi id facere: falsa vero aut excogitata affere praeter viri boni officium est, et deformat narrationes ipsa vanitas deprehensa. Nullo meo jure hoc onus impono M. T., sed id fero humanitati tuae, quam mihi maxime ostendes, si errata liberrime tolles. Vale feliciter. Misenae XI. Decemb. anno M.D.LXI.

Georgius Fabricius.

X. *Ornato juveni doctrina et virtute Iohanni a Krockau (Krakau) etc. amico suo carissimo.*

1566.

S. D. Voluntatem tuam erga me promptissimam, Iohannes, cognosco ex tuo officio, quamobrem te amo et tibi gratum facere vicissim cupio. Accepi autem quae misisti omnia, etiam pecuniam. De bellis quae sunt et gliscunt nihil habeo, nisi quod cognosco e literis tuis, et absque iis esset, plane nihil haberem, nisi rumusculos, quos plerumque vanos esse novisti. Origines Saxonicas jam in manus sumo, ut ab initio describantur; itaque libro quoque finito eum mittam ad virum Magnificum, patronum nostrum doctrina et experientia summum, ut de eo judicet, et meam instruat aut excitet pro sua sapientia industriam: tu significa, cui Dresdae tuto possim committere. In Senecam nulla scholia scripsi, neque scribere est otium: in Horatii odas absolvi duplicem commentarium, alterum verborum, alterum rerum, et eum poetam edam cum castigationibus, quo non extat melior post Virgilium. Expecto codicem veterem ex Osnaburgo Saxoniae, et habeo praeclarum, quo me Georgius Anhaltinus donavit, ex quo ante annos undecim auxi et emendavi Acronis Helenii commentarios: sed typographus, qui correctorem non habuit, valde corrumpit operam meam. Spero denuo excusum iri, tum veteribus addam etiam mea. D. Hiobo si notas locorum mittes, quos cupit descriptioni suae inserere, facies illi rem gratam et modo necessariam. Psalte-

rium verterunt Germani aliquot pie, Itali ut solent eleganter, inprimis Flaminius: sed nunc omnium industriam vicit Georgius Buchananus Scotus veritate sententiarum et puritate sermonis, quo libello te dono, et, ut consuevi, addo conditionem talem, ut totum perlegas: quod si feceris semel, leges saepius. Vale feliciter. Misena prid. Cal. Sept. M.D.LXVI.

Georgius Fabricius.

1570.

XI. *) *Amplissimo viro, virtutis et sapientiae ornamentis omnibus clarissimo D. Christophoro Carolovicio, Rubrae domus domino, Caesareae Majestatis consiliario, patrono suo observando.*

S. D. Misissem ad T. A. libellos meos rerum Misnicarum, sed typographus mihi obstitit. Primus continet ἐν ἐπιτομῇ Electores Saxoniae, alter Marchiones Misnenses scriptus carmine, tres sequentes urbis Misnae Annales; duo posteriores sunt Siffridi cujusdam Misnensis presbyteri, qui vixit ante annos CCL, antea inediti. Ab amplitudine tua, nobilissime vir, quod aetate proxima petii cupiditate ut puto non inhonesta, id nunc iterum submitte peto, ut me gratia, favore, auctoritate juves in consequenda laurea, idem significavi patronis meis, viro Magnifico D. Floriano Grisbeccio et D. Georgio Cracovio, sed in tuo patrocinio mihi dignitas praecipua est. Id autem fieri cupio non tam mea causa quam filiorum, quibus existimo relinquendum, si non doctrinae, saltem diligentiae exemplum et testimonium honestatis ad imitationem. Quicquid accesserit ad ornamenta mea, id totum tuae benevolentiae et bonitati debeo. Vale, vir amplissime. E ludo illustri Misen. VII. Cal. Febr. M.D.LXX.

Ampl. T. observantiss.

Georgius Fabricius.

*) Ad ep. XI. De *Christophoro Carolovicio* ejusque vita v. quae scriptus in vita Ge. Fabricii p. 89 sequ. Ingenium viri et mores egregie descripsit de Langenn in vita Mauricii, maxime Vol. I. p. 203 seq. et Vol. II. p. 168 seq.

XII. *Doctrina et virtute nobili viro, moribus optimis praedito D. Iohanni a Croca (Krakau) in familia Caroloviciana, amico suo colendo.* 1570.

S. D. Ad virum amplissimum, communem patronum, scripsi de cupiditate quadam mea, sed interrogare ausus non fui, ad quem potissimum in aulam scriberem Imp., aut si id facere necesse non esset: te igitur oro, ut id meo nomine facias, et facias cum observantia, et simul e vultu et sermone viri sapientissimi cognoscas, num reprehensionem merear. nam quicquid facio, alieno fit impulsu et hominum non malorum. Accipies etiam catalogum meorum laborum et exercitationum, qui in difficultate et inopia non destiti bene mereri pro meis viribus, et praesertim de adolescentia. Si censes D. patrono nostro offerendum, facere per me licet. Mitto nunc imaginem temporum nostrorum, librum historiarum decimum. Integrum exemplum brevi ad ipsum dominum mittam. In schola Argentoratensi Andreas Iociscus philosophus obiit III. Aug., Melchior Speccerus theologus XIII. Novemb., Elias Kyberus linguae Ebraicae professor XIX. Novemb., in ejusdem mensis fine Basileae Caelius secundus Curio. Romam et libellos Antiquitatum, Annotationes et Castigationes in Terentium an sim recepturus ab Oporini mortui carnificibus, adhuc dubito, quamvis ad senatum Illustriss. Elector pro me scripserit. Vale feliciter. Misena e ludo illustri die Polycarpi, Ignatii discipuli, qui in theologia semper idem sensit, ut loquitur historia ecclesiastica, anno a nato Christo servatore M.D.LXX.

Georgius Fabricius.

XIII. *Ornato nobilitate, doctrina viro et moribus optimis praedito D. Iohanni a Croca in familia Caroloviciana, amico suo colendo.* 1570.

S. D. Aeterné fili Dei, nate pro nobis, pontifex noster et frater humani generis, te invoco ut patronum nostrum, de studiis honestis optime meritum, diu conserves incolumem,

quem tua gratia ornasti et effecisti utile membrum Ecclesiae tuae et Reipublicae. Ita hoc tempore libet ordiri ad te, mi Iohannes, et scio certe preces esse efficaces: quod nunc loquor experientia. nam in mea Ecclesiola domestica sanati sunt Magnifici nostri patroni filii ambo, sanati duo filii mei natu maiores, quos tamen extra domum ire non patiar, nisi facto coelo sereniore, sanatus Martinus a Maxen. Neve intermittantur preces, decumbit Fridericus Schonbergius, filii mei duo natu minores, filiola natu major. Video Dei praesentiam, et animo sum paterno, modo molli, modo magno. Commendabimus patronum nostrum etiam Ecclesiae. Mitto tibi bovem et asinum. Magnifico patrono initia rerum Misnicarum misi, quae remittes, donec integros libellos mittam. Si vacaret ipsi propter morbum, mitterem librum VII. Originum Saxonicarum, ut corrigeret quae vellet: sed vereor hoc facere, nisi explorato ejus animo. Tu igitur scribes, et meas ante triduum scriptas curabis pro diligentia tua, quas scripsi manu aliena. Vale, subito. Misnae V. Cal. Febr. M.D.LXX.

Georgius Fabricius.

1570

XIV. Ornato nobilitate, doctrina viro et moribus optimis praedito Iohanni a Croca in familia Caroloviciana, amico suo singulari.

S. D. Inundationes aquarum naturaliter sequuntur penuria et pestilentia, fataliter tumultus, bella, urbium incendia, et dominiorum mutationes. Talis autem inundatio in hac urbe non fuit intra annos novem et sexaginta. Deus a nobis omnibus malum avertat et a tota patria. Mitto ad ampliss. patronum nostrum librum septimum Originum Saxonicarum, sed mitto fortasse parum in tempore, quia gravi in valetudine copiam non habebit mutandi et emendandi, quae ipsi non placuerint, id enim spero ipsum facturum non invitum (l. invitum), cum rerum non solum nostrarum, sed externarum, imo totius antiquitatis sit unus omnium peritissimus. Si quid tamen fieri potest, curabis ut nulla cum patroni nostri molestia et minimo

aliquo ipsius incommodo fiat. Si quid habes de pace in Gallia, de obitu Pontificis, id ut communices mihi te rogo. Vale feliciter. III. Februarii e ludo illustri Misnae. Anno a nato Christo servatore M.D.LXX.

Georgius Fabricius.

XV. *Ornato viro, genere et doctrina moribusque optimis praedito D. Iohanni a Croca in familia Caroloviciana, amico suo colendo.*

1570.

S. D. Literas tuis adjunctas reddes amicis quibus inscriptae sunt, meque ipsis commendabis. Loqueris etiam cum Magnifico viro Doctore Cracovio, quae tecum locutus sum coram. Tu autem pro tuo erga me amore et diligentia, quae tibi propria est, negotium meum curabis. Annales Misnici cum primum absoluti fuerint, ad te mittentur. credo autem id futurum propediem. Vale feliciter et patronum nostrum Magnificum saluta reverenter. Vale feliciter. Misna die obitus Lutheri, qui est festus Concordiae in fastis Romanis, Constantiae in fastis Moguntinis. Anno a nato Christo M.D.LXX.

Georgius Fabricius.

XVI. *Ornatissimo virtute et doctrina viro, moribus optimis praedito, Iohanni a Croca in familia Caroloviciana, amico suo colendo.*

1570.

S. D. Amplissimi viri, patroni nostri, singularem diligentiam in meo negotio laudo vehementer, et scriptum D. Banonis probo, cujus exemplum remitto cum effigie phoenicis, qui est imago mortis et reditus in vitam celebris, quem loco insignis elegi ante annos aliquot, cum sub ejus imagine legissem Ravennae hoc distichon pulcherrimum:

Securus moritur, qui scit se morte renasci:

Mors ea nec dici, sed nova vita potest.

Quamquam autem ego praeter lauream nihil expetivi ultra sortem meam, tamen agnosco benevolentiam, et admitto iudicium virorum optimorum et prudentissimorum: nam quod patroni

nostri Magnif. nomine tu ad me scribis, idem mihi significandum curavit Magnif. D. Griesbeccius. Meam igitur famam et honorem judiciis ipsorum et fidei mihi perspectae totam commendo. D. Georgius Carolovicius huc nondum venit, qui mihi potuisset plura, ut scribis, referre. Patronum nostrum ampliss. meo nomine reverenter saluta, et vale. E ludo illustri Misna, festo Palmarum, anno a Christo servatore nato M.D.LXX.

Georgius Fabricius.

1570. *XVII. Magnifico viro, nobilitatis et virtutis ornameptis clarissimo, Dn. Christophoro a Carolouitz Rubrae domus et Herminiae Domino, Caesareae Majestatis Consiliario, patrono suo amplissimo.*

S. D. Amplissime patrone, domine observande, D. Georgius Carolovicius, gentilis tuus, hodie me est allocutus, qui mihi M. T. prolixam benevolentiam cumulate praedicavit, dixitque et de laurea, et de privilegio, et de insignibus, quae pauci, quod sciam, impetrarunt, et quibus ego singulis me non judico esse dignum, et contentus essem honore illo primo, de quo etiam cum M. T. coram collocutus sum. Sed cum amplissimo tuo judicio nihil sit aut possit esse honorificentius, non audeo neque debeo id leve aut repudiandum putare. Literas supplices meo nomine scriptas ita relinquo, verbis tamen pauculis mutatis: quid praeterea faciendum sit, ego quidem ignoro, sed relinquo prudentiae et fidei tuae, et quia me clientem tuum perpetuum ornandum suscepisti, tibi me totum famamque et honorem trado atque commendo, et quicquid mihi ea in re contigerit, tuae virtuti, auctoritati, bonitati, dum vivam, tribuam atque debebo: quicquid vero displicuerit, id ipse ratum non habebo. Deo aeterno tuam tuorumque valetudinem commendo, qui ut Reip. diu te servet incolumem precor atque peto. Vale feliciter. E ludo illustri Misna XIII. Cal. April. anno a Christo servatore nato M.D.LXX.

T. Ampl. cliens Georgius Fabricius.

*XVIII. Ornatissimo viro nobilitate, doctrina, virtute, D. Io-
hanni a Crocau etc. amico et domino suo observando.* 1571.

S. D. Pro amplissimo beneficio, quod mihi vir splendissimus D. Christophorus a Carolouitz sua auctoritate a Caes. Majestate impetravit, verbis non possum satis gratias agere, tibi etiam et caeteris amicis, item Doctori Bannoni, et Melchiori Ritter. Id autem, quicquid in me est observantiae, honoris, grati animi, omne ad vos defero, et me ipsum vestris servitiis addico. Scripsissem praecipue ad ipsum D. Carolovicium, sed morbus meus, qui auctior valde factus est, me impediit, ut etiam manu aliena uti sim coactus. Praecedente septimana etiam spem de vita abjeceram, sed me consolatus est Deus et animum addidit, ac vires etiam auxit: et si desierint insomnia, restitutus videbor. Curavi tres libros rerum Saxonicarum Illustriss. Principi reddendos, primum videlicet de rebus Anglicis et Saxonis, alterum de Imper. Othonibus tribus, Henricis duobus, tertium de Ducibus Bavariae, Sueviae, Carinthiae natis e stirpe Saxonica. Hos postea alii insequuntur, et cum ornatiss. patronus noster D. Carolovicus ad sedem suam rubram redierit, etiam eum librum, quem ipsius amplitudini emendandum dedi, repetam. Vale feliciter. Misna e domo mea. Visitavit me in morbo Iacobus frater, cujus literas ad te et ad D. Bannonem scriptas mitto. XIII. Martii, anno a nato Christo servatore M.D.LXXI.

Georgius Fabricius.

In Ioh. Wolfii Lection. memorab. et recondit. Tom. II. p. 646 — 647. hae epistolae ad fratres Iacobum et Blasium servatae extant, quas Georgius a. 1553. scripsit de morte Mauricii Electoris.

Res Boemicas, Iacobe, ad Sleidanum nostrum mitto, quas illi reddet Rihelius. Adjunxi et de proximo proelio in dioecesi Hildesheimensi narratiunculam, e castris scriptam, in aula emendatam. Ante proelium tractus ille terrae motu concussus est, et in campo nocte praecedenti fremitus pugnantium, et equorum strepitus terribili cum vento auditi. Proxime Lipsiam, qua Chemnitium itur, sanguine pluit. In oppido ipso mira rabies erat canum aliquot mensibus, qui se lacerabant invicem, ita ut pugnando et mutuis morsibus conciderent. Credo nunquam acrius in Germania pugnatum esse. Princeps noster in sinistro latere supra cingulum ictus: tertio postridie, cum intestina laesa essent, ut nec urinam reddere, nec alia opera naturae facere posset, vitam mortalem finivit, in ardente invocatione Dei. Nam interfuit Ioannes Albinus, optimus vir, qui iniquitate aemulorum ex aula et ecclesia pulsus summum jam in nostrum Principem contulit beneficium. Comitiae fient Lipsiae post triduum. Arbitri constituti sunt inter Augustum, fratris Mauricii successorem, et Ioannem Fridericum senem, Electorum decus et suas possessiones repetentem, Rex Daniae, socer Augusti, Electores Brandenburgensis et Palatinus, Dux Clivensis, Bavarus, Vuirtembergensis, Landgravius Hassiae. Utinam pia pax restituatur et fugiantur (?) (fort. *fugentur*) impiorum societates et foedera. Heu quo redacta Germania est. Vale. Misenac, 17. Calend. Septemb. anno Domini 1553.

Fratri Blasio Fabricio. Wolff von Werter ist mitt in der Schlacht gewesen, vnnd hat sich vmb meinen Herrn, das ist

vnter den rechten Hanen finden lassen: ist ihm Gott lob nichts widerfahren. Das tröstlichst ist mir gewesen, das vnser Herr seliglich gestorben, auch von Herrn Iohann Albino, der im Churfürsten Krieg zu Kemnitz von ihm zoge, in vngnaden, neben Gott gewisslich erhalten. Hat bekannt, er wölle gern sterben: vnd diese Sprüch: Oves meae meam vocem audiunt, vnd: Sic Deus dilexit mundum etc. zu trost herzlich angenommen, vnd begehrt, ihm oft dieselbigen vorzusagen. Ist biss an sein Ende bey gutter vernunft gewesen, vnd zu Freyburg (l. Freyberg) mit gewolinlichem Gepreng begraben, neben seinen Vatter vnd Sohn, Henricum et Albertum, seliger gedächtniss. Ist auch sein Bittschir Ring altem brauch nach, dieweil er keinen Leibserben verlassen, bey dem Grab zerschlagen worden. Datum 17. Augusti, zwischen sieben vnd achten auff den Abend, vmb welche Zeit ein gross Erdbidem (sic), das mir die Bücher vnd Schreibzeug auff dem Tisch vmbgefallen, gewesen; vor zwey Jahren weynet hie ein Kind in Mütterleib. Vor eim Jahr schwitzet ein Weib in ihrer Kranckheit drey tag blutigen schweiss, ist nicht vergebens gewesen, Gott wöll uns gnädig sein vmb seines Sohns Iesu Christi willen. Vale A. 1553.

Addit Io. Wolfius: „Idem scripsit, monachum quendam pastorem Misenensem anno 1505. odio et contemptu sexus foeminei, quotiescunque foemellam aliquam sacris undis esset abluturus, dicere solitum fuisse, statim a baptismo in profluentem conjiciendam: getäufft und ersäufft: sed ipsum de ponte Albis, cum forte prospiceret, iusti Dei iudicio delapsum submersum fuisse. — Idem scripsit et ad Phil. Melanth. elegiam de infante, qui quinto ante partum die ploravit in utero materno, de quo etiam Fincelius.“

Ge. Fabricii epistola ad avunculum Germanice
scripta *).

Freundlicher lieber vetter ich leb noch, vnd bin von gottes gnaden frisch vnd gesundt, Dasselbe hab ich nun gern vnd mit Freuden von dir erfahren, vnd weil Dein wünschen und begere ist, das Du mögst ein gut gesprech mit mir haben, vnd solches mündlich nicht geschehen kan, so wil ich dir kürzlich meinen Zustand schriftlich zu erkennen geben. Erstlich nachdem ich von Hertelio kommen, vnd einen wynter zu freybirgk beim Rivio gewesen bin, hat sichs zugetragen, das ich mit einen genandt Wolf von Werter in Welschland gezogen, von dem ich mit aller notturst ehrlich vnderhalten, zum gewissen vier jar zu Padua, das fünfte jar zween monat ausgenoumen, gereiset, also die schonsten orth vnd furnembsten stedt Italiae besehen, Ravenna, Urbin, Ancona, Rom, Neapolis, Capua, Suessa, Cortona, Senia, Pisae, Luca, Florentz, Bononia, Ferrara, den Venedig ist vnser spacier weg gewesen, den es ist nicht gar ein tagreis von Padua gelegen. Zu diesen allen hat mir gott sonderlich gesundt gegeben, wiewol ich fast alle jar im Augusto gemeniglich Anstöße gehabt habe, die sind hart gewesen, aber nie vber 8 Tage geweret, Got dem Herrn sey lob, der mir auch glücklich zu Hauß wiederum geholfen hat. Wie ich wiederum hieren kommen, hab ich deine schwester, meine liebe mutter gesundt funden, die brüder wol erzogen und alle zum studirn gehalten, welches was es mir vor grosse Freude gegeben hat, kanstu wol gedenken. Die mutter macht sich schwach, und die schwester vberfole mit kindern, vnd vnser schwager Hans Trepta, ein preuß, ist wunderlich und störrisch, ich aber thue wie ich kan, das ich sie beyeinander behalte vmb der schwester willen, den es kan ja nicht alzeit gleich zugehen, vnd wie mich deucht, oder ob ichs hab

*) Ex cod. Goth. no. 212. — Commemorat hanc epistolam Schreberus vit. Fabric. p. 9., ubi e supellectile Cl. Schlegelii eam sibi datam dicit, et p. 11. 14. 52. Scripta est a Fabricio post reditum ex itinere Italico.

zuvor alters oder Unerfarung halben nicht verstanden, so ist die Welt nie erger gewesen den eben zu diesen unsern gefährlichen Zeiten, den es wer ein ganz Historien, was alleis bei uns vor Veränderung geschehen, wens die zeit leiden mocht zu erzeilen. Wetter Franzen hat Michael Pfefferkorn, wie ich vernam, bisher mit leyhen geholffen, si hoc adjuvare est, sua pecunia alterius minuere, jedoch hat es so vil geholffen, das er beim Haus blieben vnd sich mit ehren hat nehren mögen, vnd Franze ist im auch treulich genügsam beygestanden. Er hatt meins rades begeret, ob er Paulum zu dir schicken sol, hab ichs mir lassen wolgefallen, den er ist von besser Gesellschaft verfürst vnd gibt wenig auf vater vnd mutter, vielleicht wo er frembde wer, möcht er sich bas halten, vnd noch etwas gults aus in werden: ich wil daran sein mit redt und hilf, so viel mir muglich, das Klein Melcher beim studirn bleibt. Andreas mein Bruder hat in daheim instituiert, sed corrumpitur indulgentia, ego acerbeparentes ipsos litem (? fort. et libere) increpavi, et spero eos officium facturos, von dem genug. Nach meiner Wiederheimkunft bin ich etwan drey Woch zu Remnig gewesen, vnd wiewol mir viel ehrlicher conditiones furfielen, jedoch das ich mich weiter umbsehe vnd fortstudire, hab ich mich lenger zu dem von Werter versprochen, vnd bin nach Ausgang zehen monat nachdem ich wieder ex Italia kommen, mit den jüngsten zween Brüdern Philipp vnd Anton gen Straßburg gezogen, und Blasium mit mir genommen, der auch noch aller notturft versehen; ist mein meinung ein jar oder zween noch alhier zu verharren, vnd so sichs schicken wil, wie ich verhof, Galliam darnach besehen. Was denn der liebe Gott weiter verleyhen wil, es sey daheim oder anderswo, mich zu ruhestellen, ut illud talentum, quod mihi a Deo commissum est, cum lucro reddam. (Des) ich hab kein profession oder tittel geacht, sondern bey den armen literis blieben, hat mich noch nie gereuhet, vnd ob ich nicht viel gehabt, bin ich ehrlich bestanden. Ich hab zu Neapolis Donati in Virgilium Commentaria bekommen, die ich iegvnder zu lasset drucken las, den sie vor in Deutschland nicht gesehen, vnd hab davor gemacht Epistolam carmine de praestantia poetarum apud Latinos Virgilii et Horatii; dieses hab ich meinen lieben vettern

Martino Pisoni zugeschrieben, wo aber der Drucker nicht angefangen, wil ich deinen namen an sein stad setzen, welches tod, wiewol er mich herzlich bekummert, doch dieweil sein kindle versehen und dich zum Vater haben, freue ich mich, vnd wollen wir mit vnsern vnwillen Gottis will nicht straffen noch erzürnen, Got sey im, dem Andres vnd vns allen gnedig. *Extorquet mihi lacrimas memoria opt. amicorum, quare plura non possum,* vnd ich glaub, es sey dir schmerz genug; wo es Got haben wold, wie ich mich genzlich vorsehe, mocht ich gern ein alt vnd freundlich gesprech mit Dir haben, das du den auch begereest, vnd desto lieber, so es vmb den Casberg were u. s. w.

Tum paucis verbis interjectis, quae in apographo prorsus depravata sunt, Georgius de fratribus suis ita pergit (cf. Schreiber. l. c. p. 14.) Latine:

Blasius natura bonus est, rectus est, simplex est, et si collatio facienda est, Andream tuum fratrem refert: Iacobus ingenio vincit, studiosus, alacer, callidus, et amabili modestia: Andreas austerior, subtiles impetus habet, musica delectatur. Carmina scribunt omnes, Iacobus meliora, Andreas plura. Das schreib ich desto lieber, da ich weiß, lieber vetter, was mich erfreuet, das ist deine freude auch. Es seyn zween jung Herrn Sigmundt vnd Adam von Dieterichstein, die viel gültter in der Steiermark haben, vnd irgend noch zu Padua studirn, wo du sie antriffst, so melde dich, werden dich von meintwegen lieb haben, vnd wie ich zu Padua gewest, zu sagen wissen. Wold Gott, das alle Herren das gemutt zu Tugend vnd Wissenssch. hätten, wie sie haben, würd' es vielleicht besser in aller Welt stehen. Jezund nicht mehr, den bis got mit den Peter vnd vnsern lieben vettern vnd mummle in gnaden alzeit befohlen. *Ego brevi ut spero edam Terentium, in quem scripsi castigationes post Rivium. Edam de meo libros duos Odarum, quae Christiana argumenta habent, in iis tamen liber secundus absolutus nondum est.* Ist mein bitte, wie ich den auß deinem schreiben verneme das du zu thun geneigt, wollest vnser vettern auch zum studirn halten, was ich nun mit der Zeit oder meine brüder werden dienen können, wollen wir herzlich gern thun. Den sagt meinen gruß, was mehr ist wird dir Blasius schreiben.

Virorum doctorum ad Ge. Fabricium epistolae.

I. *)

Ioannes Rivius senior Fabricio S. D.

Quas ad me literas X. Calend. Decembr. dedisti, eae mihi 1552.
Nonis ipsis redditae sunt, in quibus pristinam tuam erga me benevolentiam vel pietatem potius recognovi. Ago igitur tibi, mi Fabrici, gratias ingentes, qui me praeter amissas tot familias jam et filio et nepte orbatum, conjuge sanctissima viduatam in maximo luctu et tristissimo tempore consolandum esse duxeris. Etsi enim Dei gratia atque ope fretus singulari patientia tot miseras et aerumnas pertulerim, inque amissione carissimorum Dei voluntatem quamvis acerbam aequo animo sustinuerim: tamen incredibilem in modum me recrearunt literae tuae, tam amanter ab homine amantissimo scriptae, quibus et levare molestiam hortaris. Quo nomine etiam plurimum me debere fateor genero meo Alexio**), viro optimo et pientissimo, qui his luctuosissimis temporibus nihil fere omisit, quod ad me tum consolandum, tum juvandum facere videretur. Crebro nos invisit, et suavissimo colloquio moerorem meum minuire et luctum abstergere studet. Et sicut in illius colloquutione, ita in literarum tuarum lectione, mi Fabrici, mirabiliter acquiesco. Deus pro tali officio tam opportuno et inprimis necessario gratiam ei debitam persolvat. Ipse quidem operam dabo ut praemium aliquando tuae pietatis feras. Te oro, ut, quoniam non licet (scr. ore non licet) per literas saltem mecum colloquare. Nihil mihi facere poteris gratius aut jucun-

*) Ex. cod. Goth. nr. 212. fol. 81. — Habuit Schreberus hanc epistolam mserptam, atque ultimam partem a verbis *Te oro* usque ad recreatis exscriptam dedit vit. Fabr. p. 40.

**) Ad marg. scr. *Alexius Practorius*, superintendens Misnensis.

dius. Nescio enim quo pacto sigulari quadam voluptate perfrui mihi videor, dum scripta tua legam, solatium ingens luctus ingentis. Nam proxime et secundum Christum Alexius[†] noster colloquio suo praesens, tu, mi Fabrici, literis tuis absens me vera et jucundissima consolatione recreatis^{*)}. Servet te Deus filius, noster Dominus et servator Christus. Ex rure suburbano ad Albim die ipso Nicolai, anno a salutifero partu M.D.LII.

III. **)

Wolfgangus Leopoldus G. Fabricio S.

1559.

De intermissione literarum recurrendum est ad vulgarem excusationem, quae (scr. qua) etiam negligentia tegi solet, penuriam tabellariorum; sed revera ita est, sic ad extremam terrae partem remoti sumus, ut nisi a nobis, ipsis tabellarii instituantur, aut nullas ad vos dare possimus, aut si quas demus, raro vobis reddantur. Nunc igitur, mi observande Fabrici, cum neque ego de tua valetudine rerumque tuarum statu quicquam, neque tu post contractum matrimonium de meis rebus cognoscere potueris, has literas meas discipulo meo Joachimo Stralovio Gustroviensi Vuitebergam misi, ut et perferri ad te meas et tuas facilius recipere posse arbitror. Filio me auctum esse scito XIII. Decembris et a compatre suo nomen Matthiae accepisse. Deum precor, ut in educando eo ipse nos adjuvet, ut membrum fiat Ecclesiae utilissimum et senibus aliquanto nobis adminiculo sit et consolationi. Eadem tibi exopto, mi carissimi Fabrici, quoniam, ut ex Matthia cognovi, paries a Deo donatus munere. Status scholae nostrae idem fere est, qui fuit antea: legi Ovidium de Ponto, de senectute Ciceronem, Dialecticam, in Luciani quibusdam dialogis grammati-

*) Apud Schreber. vitiose leg. *recreabis*.

**) Ex cod. Goth. fol. 94. — *Wolfg. Leopoldus* Freibergensis praefuit institutioni ducum Megalopyrg. Ulrici, Christophori, Caroli, et inde ab a. 1553. Rector fuit Scholae Gustroviensis. v. Schreber. vit. Fabr. p. 320. ubi partem hujus epistolae dedit a verbis *Aucta sunt* usque ad *gratias ago immortales*.

cam exerceo, paediam Xenophontis posthac legere constitui, in quo me D. Hiobus juvare te hortante poterit, quoniam eundem, ut opinor, nunc in manibus diu habuit. Principis Ulrici animum erga nos adhuc sentimus clementem, alterius etiam satis liberalem. Aucta sunt collegarum meorum stipendia, quae exigua satis erant, et cantor nobis adjunctus est: is cum diutius muneri suo propter aliud vitae genus, quod elegit, praeesse non possit, a Superintendente utriusque Principis nomine mihi mandatum est, ut adolescentem pium, eruditum, et gravem, quem maxime in musicis excellere nossem, accerserem. Suscepi negotium non invitus, quod et horum hominum mores in scholis administrandis non admodum probem, et tuum de ejusmodi adolescente judicium caeterorum omnium antepone-rem. Quare a te tum Principum, tum meo nomine vehementer peto, ut, quando ex vestra schola tanquam ex equo Trojano adolescentes artibus scholasticis instructissimi prodeant, talem ad nos mittas, qui illud munus ad festum Paschatis suscipiat, aut prius etiam, si fieri possit, nos conveniat. Quodsi neque ipse veniret, neque literas a te ante illud tempus acciperem; nos interea ejus partes in canendo sustinebimus usque ad festum Ascensionis Domini. Stipendium est triginta florenorum, de efferendis mortuis mercedem solus habet, mensam quemadmodum antecessori suo liberam, ut spero, curabimus. Domus illi cum correctore erit communis, profitebitur musicam et prima literarum rudimenta parvos docebit. Vuitebergam, nisi illic talis nunc sit, proficiscatur; inde ad nos commoda vectura ad statutum tempus venire quam primum poterit. Quodsi non ita instructus adhuc cantilenis esset, adferat quantum habeat, nos illi hac parte abunde prospiciemus. Quodsi aliquando studium suum atque vitam Principibus, quos inspectores cotidie fere habemus, probaverit, aditum sibi ad majora etiam patefaciet. Nam cum in exteris hominibus plerumque animadvertant aut sobrietatem, aut humanitatem, aut industriam, libentius iis praeter caeteros in Reip. muneribus utuntur, aut iis certe, quorum ferocitas aut intemperantia apud externos multo tempore retusa est et mitigata. Haec si adolescens ille ex te cognoverit, non dubito, quin majori desiderio nos quam-

primum sit visurus. Equidem quod huc venerim, vobis ejus rei auctoribus maximam semper gratiam habeo atque (*gratias* add. Schreber.) ago immortales. De libris tuis carminum, quos editos superiori anno videbam, Vuitebergam saepe jam scripsi, sed eos adhuc desidero. Quodsi exierint, certiore me facias rogo, ne diutius me fraudari patiar. Visitatio ecclesiarum, quae perfidia et contentione quorundam intermittebatur, rursus instituta est. Rostochiensibus ob pulsum doctorem Heshusium et ejus collegam 6200 florenorum a Principibus mulcta constituta est, et de contumacia graviter in camera accusantur. Rex Daniae pia placidaque morte Calend. Ianuarii obiit. Verendum est ne, cum regnum non sit haereditarium, filius sine armis patri succedere non possit. Undique milites colliguntur, et sunt qui ejus regni cupiditate tenentur. Deus conservet illam bene institutam ecclesiam. D. Matthias prole nuper auctus est. Despondit Mariam suam M. Bernhardo. Valemus omnes. Vale et tu cum uxore et filio tuo, mi observande. D. Fabrici, et saluta D. Hiobum et collegas tuos meo nomine reverenter. Datae Gustrovii Dominica Estomihi Anno M.D.LIX.

III. *)

1561. *Simon Pistoris I. C. humanissimo et encyclopaediae doctissimo viro D. Georgio Fabricio amico suo.*

Salutem et pacem in Christo Iesu. Eruditissime Fabrici, valde libenter legi ea quae satis eleganter de seculi nostri rebus gestis concinnasti. Non agnosco autem me eum qui quicquam emendare vel Aristarchum praestare possit, admonebo solum de aliquibus, quae mihi obscura esse videntur et aliter accidisse constat. Memini autem, Ducem Albertum ex Frisia magna pompa multisque vexillis deductum ad sepulturam Misnam. Disputatio Lipsica habetur impressa, et coepta 27. Iunii et sic sex diebus ante 4. Non. Iulii. Et memini me in die Petri Pauli Lutherum praedicantem audire contra primum

*) Ex Ge. Fabricii Origin. Saxon. a Jacobo filio editis p. 884. Ceterum Schreberus p. 161., hanc Sim. Pistoris epistolam cum aliis Schlegelianis ad se allatam fuisse, scribit.

Pontificis. Et quamquam disputationis illius gratia Mosellanus praescripserit orationem, non tamen debuit ipse recitare, sed ad hoc se obtulit Otto, qui deinde simulavit aegritudinem. Sed tamen oratio ei adscripta extat impressa. Inter theologos non novi Keytzenhoffen, sed Konigshofen. Bello contra rusticos prope Franckenhausen non interfuit Princeps Ioannes, sed ab ipso Dux Georgius quinquaginta balistarios impetravit, et solus ipse gessit cum equitibus Cardinalis advocato Landgravio et Brunsuicensi, qui obiter subegere Saltzenses. Quod autem Duci Georgio adscribis, quod novos cuderit nummos pondere superioribus minores, miror. Extant autem adhuc et sunt iusti ponderis, nique fallor habent in suprascriptione: *Neue Münz nachm alten Schrott und Korn*. Deinde per arbitrium Grimense fuerunt denuo juncti ita quod Marcha deminuta fuit uno quadrante, ad quod certe Dux Georgius satis se difficilem praestitit. Praeterea scribis, Ottonem Vicecancellarium Georgii accusatum, quod literas finxisset falsas, et tamen extat foedus ab ipso confictum. Hujus negotii Functius quidem mentionem facit, non autem ficti foederis, de quo et apud Sleidanum nihil. Habes autem hic, quo pacto accusatus fuerit, si forte inde placet summam elicere, sed ita ut remittas. Ante mortem autem ipsius Ducis Georgii ita contigit, quod a morte filii Ducis Friderici praecipuos apud se medicos ad sesquimenssem habuit, ni fallor, Stromerum, Schiltesium, et Pfeilium. Et cum per illos satis videretur sanitati prospectum et amandati forent, XVI. April. anno XXXIX. ad vesperam ante coenam usus est sua solita potione, post quam insequenti nocte in colicam passionem incidit, ac saepius quidem jussit me advocari, id tamen mihi demum mane hora quinta fuit significatum, et cum veni, nullum aliud verbum potuit emittere, quam *Cantzier*, Plebanus autem D. Petrus Eysenberg morienti inclamavit, quod deberet implorare suum Apostolum S. Jacobum, D. Roth autem dixit: potius Iesum Christum, et circiter horam nonam expiravit: insequenti die visa est eclipsis solis. Bene vale et boni consule. Seuselicii postridie Iduum Decemb. a nato Christo M.D.LXI.

Simon Pistoris. I. C.

Georgii Fabricii carmina adhuc non edita.

I. Ex cod.
Goth. nr.
212. fol.
140.

I. *Epitaphium D. Philippo Melancthoni scriptum.*

Inclita quicquid habet studiis Germania laudis,
Ingenio peperit, clare Philippe, tuo.
Viteberga tuum corpus tegit, orbe sepulcrum
In toto est, clarus nomen Olympus habet.

Georgius Fabricius.

II. Ex eodem
cod. fol.
187.

II. *Dies Alexii. (17. Iulii 1562.)*

Optamus bona cuncta tibi, natalis, Alexi,
Iam tuus in sudo tempore laetus adest.
Fragret humus myrto, minuatur libana cedrus,
Pandat Idumaeas altaque silva comas.
Natalem hunc iterum multos cantemus in annos,
Sitque tibi ex votis longa senecta meis.
Ut celebres docta Davidica carmina voce,
Sisque diu sancti duxque paterque gregis,
Optamus bona cuncta tibi: sint omnia fausta,
Votaque nostra tuo numine, Christe, juva.

Georgius Fabricius.

III. Ex eodem
cod.
fol. 194.
Carmen Fa-
bricii esse
videtur,
quamquam
nomen non
subscriptum
est.

III. *In nuptiis Vuilelmi ducis Uraniae (Oraniensis) et Annae Mauricii electoris filiae Eulogion.*

Caesarea juvenis de stirpe creatus Adolphi,
Annis atque toga clare Vuilelme decus,
Annaque Saxonicae celeberrima gloria gentis,
Inclita magnanimi filia Mauricii;
Conjugio vestro Rhenus gratatur et Albis,
Perpetuae et dulces Rhenus et Albis aquae.
Gaudia non ullo rumpantur tempore vestra;
Laeticiam pariter patria tota sonet.

IV. Epitaphium Blasii Fabricii Georgii filii.

Gestavit teneris te sedula mater in ulnis,
Nunc manus excelsi te fovet alma Dei.

Georgius Fabricius Blasio F. Qu. P. P. Obiit pr.
Cal. Ian. aetatis mense VII. anno M.D.LXIII.
Terrena vide, Coelestia crede.

IV. Ex eo-
dem cod.
fol. 215.

V. Epitaphium Ioannis Fabricii Georgii filii.

Vixi quinque dies, vivo nunc omne per aevum,
In Christo factus rursus imago Dei.

Georgius Fabricius Ioanni F. P. P. P. Obiit
pr. Id. Mart. M.D.LVIII.
Mors mea vita mea est.

VI. Epitaphium Andreae Fabricii Georgii filii.

Vivis in amplexu Christi, dulcissime fili,
Et quo laetetur mens tua semper habet.

Georgius Fabricius Andreae F. Qu. P. P. Obiit
XVIII. Cal. Sept. vixit horas IIII. M.D.LXI.
Solvor morte mea, Christi virtute resurgo.

*VII. Epitaphium Georgii de Schleinitz, Illustr. Saxon. Ducum
Henrici, Mauricii et Augusti praestanti consiliario.*

Ex eod.
fol. 219.

Hunc tumulum nati caro posuere parenti
Et dulci conjux officiosa viro,
Nobilitas et opes et clari fama laboris,
Et studiis mores excoluisse bonis
Magna viro laus est, sed nil praeclarius illa,
Quam patriam et verum quam coluisse Deum.
Laude hac Schleinitia de gente Georgius ortus
In vita fuerat morteque clarus erit.

G. F.

Ex eod.
fol. 223.

VIII. *Epitaphium Ioannis Albini Past. Misn. (In templo
senat. Misn. B. Virg.)*

Ioannis lapis hic Albini contegit ossa,	Herr Iohann Weis hie begraben leit,
Qui Christi fido pectore praeco fuit.	Ein Diener Christi alzeit,
Primus et hanc urbem coelesti luce	Bracht Gottes Licht in diese stadt,
replevit	Vor fersten vnd Hern kein scheuen
Et docuit magnos Marte togaque	hat,
duces.	Er hat gekempft ein guten streit,
Fortis in hoc moriens et in hoc cer-	Der gerechten kron im beigeleit.
tamine vivens.	
Iusticiae Christi munere sarta tenet.	

G. F.

Ex eodem
cod. Goth.
fol. 221.

IX. *Epitaphium Augustini Pici Lipsiae sepulti anno
M.D.XXXIII. Oculi.*

Heus viator, asta, paucis te alloquar. Nova ob nova
flagitia poena hic sepultis infligitur. Iacei hic Augustinus Picus,
non tam legibus quam pietate cultus et moribus. Sed Deo
magis humanis quam constitutionibus obsequens civitate ejici-
tur; hic sepultus est corpore, mens apud superos, fama apud
homines usque viget. Vale viator.

Periit morbo icterico.

Qui venis huc cernens congestum in mole sepulcrum
Siste gradum, et lectis hisce, viator, abi.
Hic jaceo Picus, morbo consumptus amaro
Atque hominum terras fabula facta super.
Divinas didici multorum ad commoda leges,
Humanis pulsus legibus urbe fui,
Dum potior Christo fuerat placuisse voluptas,
Impie, quam leges, Papa, probare tuas.
Corpus despecto jacet hic exsangue sepulcro,
Aeternis fractus spiritus ipse bonis.

Μέμνησο θανεῖν.

G. F. C.

Ex eodem
fol. 232.

X. *Georgius F. in mortem dulciss. matris.*

Αἱ αἰ μήτηρ ἐμὴ τί σ' ἀμελιχὸς ἤρπασε δαίμων,
πρὶν σε τέλος ἐλθεῖν τοῦ κρυεροῦ θανάτου;
Σοὶ μέντοι μέγα χάριμα χάρισσατο, αὐτὰρ ἐμοί γε
πένθει δυσλήτῳ (fort. πένθει δυσλήτῳ v. δυσλήτῳ v.
δυστήνῳ) τὴν κραδίην ἔβαλεν.

M. M.

Τίπτε μάτην στενάχοντες ἐμῷ ἐπεκλεύσατε θυμῷ,
οὐδὲν ἔχω θρήνων ἄξιον, οὐ δακρύων.
Λήγε γόων καὶ σύγε (?) πόσις καὶ παῖδες ἑμοῖο,
ἀντὶ δὲ τοῦδε βίου αὐτὸν ὄλυμπον ἔχω.

*XI. Docto et praeclaro musico, Michaeli Voeto, synodi
Torganae synergo, amico suo carissimo.*

Silvae moventur Orpheo,	Hanc Michael tu Musicam
Et saxa dura Amphioni	Ipsa ex vetustate eruis,
Arionique bestiae :	Pingisque doctis paginis.
Quin garrulas ad tibias	Haec rursus aeternum tibi
Lydae salierunt insulae.	Decus parabit Musice
Vis tanta doctae Musicae.	Pio, suavi, sobrio.

G. Fabr.

*XII. Ad Annaebergum Georgius Fabricius Chemnicensis
M.D.LVI.*

Ex eodem
cod. sub
finem.

Vos argentiferos colles, vos moenia celsa;
Moenia Sudetis nobilitata jugis,
Et te Peliacum sublimi vertice montem,
Urbs est ad cujus condita clara pedem,
Quam cupide aspicio, quam toto amplector amore,
Quam subit illa animo cura vetusta meo.
Hic meditabar enim puerilia carmina Musis,
Hic lecta est capiti prima corona meo.
Rivius hic alti Parnasi ad culmina duxit,
Imbuit et tenerum pectus amore novo.
Nam memini hos colles, haec subterranea saxa
Consona Pieriis verba dedisse sonis.
Saepe meos risit, pergas tamen, inquit, Apollo
Versus, saepe leves blanda Thalia jocos.
Namque jocis aliquid dedimus puerilibus annis,
Cum venia his annis forsitan error inest.
Sed tamen in nostro majorem carmine partem
Christus habet, summus cui tribuendus honor.
At cecini, ut potui, regnabat hypocrita templo,
Et poterat Christo tum magis Anna Deo.
Tunc ignarus eram figenda esse oscula Christo,
Informi digito basia stulta tuli, (Marg. ascript. *Annenfinger.*)

Nescio cui digito, qui raptus forte latroni
Divino, infandum, cultus honore fuit.
Christe, tibi grato cantamus pectore laudes,
Diruta sunt verbo foeda theatra tuo.
Istam perpetuo conserves *candidus* urbem, Fort. *providus*.
Rursus in antiquum ne cadat illa lutum.
Templa habeant fidos custodes, curia pacem,
Civilisque omnis sit sine labe status.
Cum te sic cerno, mihi bis duo lustra peracta,
Tota oculis facies est nova visa meis.
Sic crescas vigeasque bonis, pietate, virisque
Auctior, et magnum nomen ad astra feras:
Laudati ut quondam meritis crevere Philippi,
Quis venis auri terra opulenta fuit.
Sic infixi meis haeres urbs clara medullis,
Scilicet ut nato mater amica suo.
Hospita salve igitur studiorum prima meorum,
Post natale mihi terra paterna solum.

Lipsiae impressit C. E. Elbert.

